UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


# Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D. Ill[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs. Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos Cardinales &c. Libri VI

**Baronius, Justus**

**Mogvntiae, 1605**

urn:nbn:de:hbz:466:1-70614

Visual Library



5
II
33
Th. 6054.

N.

I II
33

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IVSTI BARONII

# VETERACASTRENSIS

SS. TH. ET I. V. D. ILL^mo ARCH^Po
Moguntino à Consilijs.

# EPISTOLARVM SACRARVM

Lib. Coll. Soc. Iesu Paderborn. an. 1610

AD PONTIFICEM MAX. ET AMplissimos Cardinales &c.

## LIBRI VI.

QVIBVS QVÆ AD CAVSAM ABIECTÆ A SE HÆRESEOS PERTInent, ordine quasi historico complexus est: insertis aliorum subinde ad se amœbæis Epistolis.

S. Hieron. Epist. 109. ad Domn. & Rogat.

*Licet hydra sibilet, victorq; Sinon incendia iactet, nunquam meum iuuante Christo silebit eloquium: etiam præcisa lingua balbutiet. Legant qui volunt, qui nolunt abijciant, euentilent apices, litteras calumnientur: magis vestra charitate prouocabor ad studium, quam illorum detractione & odio deterrebor.*

MOGVNTIÆ.

*E Typographeo Ioann. Albini.*
*Anno M. DCV.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ILL^mo ET REV^mo PRINCIPI

# D. IOANNI SCHVICARDO,

ARCHIEPISCOPO ET ELECTORI MOGVNTINO, S. R. IMP. per Germaniam Archicancellario,

*IVSTVS BARONIVS VETERacastrensis.*

EPISTOLARVM scribendarum duplex ratio esse solet, ILL^me & REV^me PRINCEPS: vna voluptatis, necessitatis altera. Vtramq; complexus Turpilius Comicus, [a] *Sola*, inquit, *res est, quæ homines absentes præsentes facit.* Nec *falsam dedit*, vt [b] Hieronymo placet, in re

[a] *Apud S. Hieron. Epist. 42. ad Niceam hypo. Aquil.*

[b] *Ibidem.*

*in re non vera sententiam. Quid enim est tam præsens inter absentes, quàm per Epistolas & alloqui & audire, quos diligas?* Nam *& rudes illi Italiæ homines, quos* [c] Cascos *Ennius appellat, qui sibi, vt in Rhetoricis* [d] *Cicero ait, ritu ferino victum quærebant, ante chartæ & membranarum vsum aut in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuò Epistolarũ alloquia mißitabant. Vnde & portitores earum* tabellarios, *& scriptores à libris arborum* librarios *vocauere. Quantò magis igitur nos, expolito iam artibus mundo, id non debemus omittere, quod illi sibi præstiterunt, apud quos erat cruda rusticitas, & qui humanitatem quodam modo nesciebant?* Hæc D. Hieronymus: quibus simile aliud

[c] *Cicer. 1. Tuscul.*

[d] *Lib. 1. de inuẽt. ab initio.*

[e] *Ciceronis* adijcerem, nisi id nimis peruulgatũ esset. De me si quis forte quærat, quæ mihi scribendarum Epistolarum ratio fuerit, vnam necessitatem respõdebo: eamque si quis nosse desiderat, age veniat in rem præsentem, videat tabulas, argumenta subducat, nõ scriptas à me litteras, sed tam paucas scriptas mirabitur. De editione minus laboro. Quæ enim scriptu olim digna iudicaui, lectu quî nunc indigna iudicare potero? Lectu inquam vel ijs, quibus scripta non fuerunt. Qui vt etiamnum legant, nonsolum

[e] *Lib. 2. Epist. 4. ad Curiõ.*

patior facilè & opto, sed & hortor & moneo. Quod si qui legere fastidient, nullam mihi vel horum nausea molestiam creabit. Aspernentur, abominentur, execrentur. Ego bonis bonis rationibus excusatus, facilè *Marrucinorum* istorum inuidiam cõtemnam. Sed legere tamen debent, non dicendi elegantia, quæ in Epistolis [f] *vulgari sermone texendis* non est, sed causæ ipsius simplicitate, & malignitatis suę opprobrio, qui quam multa mendaciorũ millia de me omniq; statu meo in vulgus sparserint, hoc vno teste tanquam [g] *iniurato*

*f Cic. 7. Epist. 21. ad Pap. Pætum. Ambr. li. 6. Epist. 40. ad Sabin. Lips. in Epistolic. cap. 7.*

*g Laert. lib. 4. in vita Xenocr.*

*iurato Xenocrate*, aut[h] *Metelli Numidici fidiſſimis tabulis* cognoſcent. Eſt enim verè quod aiunt, *ſermo animi index*, [i] *detegimurq; in Epiſtolis, & ſubijcimur oculis planè nudi, vt ſi me noſſe velis, aut alium, Epiſtolas legas, quæ depingunt. Ingenij, affectus, iudicij, imò & vitæ non vana imago iſthic.* Itaq; vt repetam quod & aliâs dixi, quod ego nunc ea, quæ priuatos quondam intra parietes ſcripta & actitata ſunt, publicè nunc legenda, ac totius orbis theatro ſpectanda ꝓponо, ſinceritatis argumentũ eſt.[k] *Omnis .n. q malè agit, odit lucẽ, & nõ venit ad lucẽ, vt nõ arguãtur opera eius. Qui autẽ facit veritatem,*

[h] *Cic. lib. 1. ad Attic. epi. 13.*

[i] *Lipſ. præloq. Epiſt.*

[k] *Ioan. 3. 20. 21.*

*tatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.*

Quamobrem ego qui causæ meæ securissimè fido, nil celo, nil tego, nil tenebris aut verborum præstigijs inuoluo, sed in ipsa consiliorum penetralia aduersarios nunc intromitto, qui legant licet clausa, videant occulta, nil proditoriè, nil perfidè, machinatum me inuenient. Scripsi ad pares aut ad superiores. A paribus consilium, à superioribus auxilium postulaui, & in causa quidem optima, grauissima, sincerissima. De salute enim mea anxius, consului eos, quos con-

consilio valere, & salutis negotia intelligere iudicabam. Necessitatibus constrictus opem imploraui eorũ, quos & officio posse, & benignitate velle me iuuare cognoram.

Sed ne longius in hunc campum excurram, ad te sermonem conuerto ILL^me & REV^me D^ne. Cui quamobrem hoc EPISTOLARE VOLVMEN consecrare, tuique sub Amplissimi nominis Clientela in lucem emittere voluerim, causæ mihi multę, sed è multis in primis duę fuerunt: insignis virtus tua, atq; insignis in me iam mul-

tis annis pluribus argumentis testata beneuolentia & humanitas. De virtute nemo est quin affatim perspectum habeat, quàm benè cum titulo ARCHIEPISCOPI moribus tuis conueniat. Tu enim es, cuius cura non pro gregibus tantum tuis & populis, sed & pro aliorum gregum populorumque pastoribus vigilantissimè excubat: Tu es, quem omnes pijssimè & religiosissimè viuere, iustitiæ & æquitati acerrimè incumbere, processionibus publicis nonsolum interesse sed & præesse, Venerabile Sacramentum vel

publicè manibus portare, vel priuatim ſępe ſacris operando conficere, reformationis opus ſtrenuè & confidenter perſequi, Eccleſias ſcholaſq; reſtaurare, paſtores liberaliter habere, hæreſes extirpare, pertinacibus nullam aurem præbere, errorum ac ſeditionum flabella omni ditionis fine eijcere, morigeros omni ſuauitate complecti, iuſtitiam deniq; foro, veritatem Eccleſijs, pacem terræ reducere norunt. Sunt hęc in ore atque oculis omnium clariſſimè poſita, multoque plura iſtis, quæ ſi ego commemorare vellem, habe-

haberem profectò, quo laudatissimis Imperatorib. non compararem te solúm, sed & anteferrem. *Salua est te Principe, omnibus vita & dignitas, nec iam consideratus ac sapiens, qui ætatem in tenebris agit. Eadem quippe sub Principe virtutibus præmia, quæ in libertate: nec benefactis tantum ex conscientia merces, sed etiam præmia sunt. Amas constantiam ciuium, rectosque ac viuidos animos non vt alij, contundis ac deprimis, sed foues & attollis. Prodest bonos esse, quum sit satis abundéque, si non nocet: his honores, his sacerdotia, his prouincias offers, hi amicitia tua, hi iudicio florent, acuuntur isti integritatis & industriæ pretio. Similes & dissimiles alliciũtur. nam præmia bonorum malorumque bonos ac malos faciunt.*

*IC. Plin. in Paneg. Traian. dict.*

Iam

Iam *erroribus* quàm fideliter *mederis, omnibusque quos bonos facis, hanc astruis laudem, ne coëgisse videaris. Quid vitam? Quid mores iuuentutis quàm* piè & Catholicè *formas? Quem honorem dicendi magistris, quam dignitatem* Orthodoxę fidei Doctoribus *habes? Vt sub te Spiritum & sanguinem & patriam recepit* Catholica fides, *quam priorum temporum immanitas exilijs punierat, cúm sibi vitiorum omnium conscij homines, inimicam vitijs* fidem sacrilegè *relegarent? At tu eandem* fidem *in complexu, oculis, auribus habes. Præstas enim quæcunq; præcipit, tantumq; eam diligis, quantum ab illa probaris.* Sed & comitas tua quanta? *Securi & hilares, cũ cõmodum est, conuenimus,*

*mus, & admittente Principe, interdum est aliquid quod nos domi quasi magis necessarium teneat. Excusati semper tibi, nec vnquam excusandi sumus. Scis enim sibi quemq; præstare, quod te videat, quod te frequentet, ac tantò liberalius ac diutius voluptatis huius copiam præbes. Nec salutationes tuas fuga & vastitas sequitur: remoramur, resistimus, vt in cõmuni domo.* En quantus se laudum tuarum campus aperit ILL^me^ PRINCEPS, quanta seges, si expatiari longius liberet. Sed hic sisto pedem, vnumque illud addo: Talem ac tantum Principem. APOSTOLICAS & CARDINALITIAS litteras, quas hic quasi selectissimum exercitum

tum in hostes emitto, efflagitasse ductorem, ne quod [m] *Chabrias* & [n] *Philippus* dicere consueſcebāt, *Leonem, agmen ceruo duce* incedere cogeretur. Sed & hunc ipsum tibi honorem tua innumerabilia in me merita vindicabāt. Tu enim primo huc cum familia aduentantem quasi alter° *Onesiphorus Paulinus*, aut [p] *Florētius Hieronymian°* hospitio tuo ac refrigerio excepisti, tu pressum inuidia ac maledictis aduersariorum amore tuo suauissimo subleuasti, vstum miserijs aura liberalitatis tuæ refocillasti, naufragum in portum reduxi-

m *Plutar. in Apoph.*
n *Stob. ser mon. 52.*
o *2. Tim. 1. 16.*
p *Hieron. Epist. 5. ad Florēt.*

duxisti, periclitantem apud Principes, principibus reconciliasti, muneris denique expertem, munere honestissimo collocupletasti: nec dum finem facis, diuini amoris tui erga me verbis factisque liberalissimè demonstrandi. Quibus tuis immortalibus in me meritis cum nec referre pares, neq; agere satis dignas gratias possim, en accipe hoc qualecunq; gratissimi pectoris pignus, natum quidem olim, sed noua nunc incude perpolitum, noua structura decoratum, noua denique accessione locupletatum, vt

vt vix paucula aliqua veteris faciei lineamenta appareant. Quod si quid tamen debiti ponderis aut decoris abesse putabis, quæso sarciat id diues ille bonitatis tuæ penus, tesseramque hanc habe gratissimæ meæ in te voluntatis. Quam dum æqui bonique consules, ego Deum perdius pernoxque precabor, Catholicæ vt Ecclesiæ, Romano Imperio, tibi mihique ac populis tuis, omni animi suauitate ac lubentia in te recumbentibus, diu superstes viuas, & quæ præclara restaurandæ fidei opera cœpisti, præcla-

rioribus compleas, & felici-
oribus absoluas. Vale. Mo-
gunt. 3. Idus Mart. M.DCV.



BENE-

# BENEVOLO LECTORI S.

EMITTO ad te, *Christiane Lector*, EPISTOLARVM SACRARVM, siue AMOEBÆARVM potius, id est à me Celsissimisque Patronis meis & amicis vltrò citroque scriptarum LIBROS VI. Quibus quia varia hinc inde iudicia pertimescēda video; *Prologum* hunc *Galeatum* præfixi, vt quas posset calumnias excuteret: quas non posset, frangeret, meque aliquo saltem famæ leuamine sustentaret. Ac primum *de scriptione*, neminem audire dignor, cum rei ipsius necessitas pro me palam loquatur, cum etiam cuique liceat esse rerum suarum arbitro. De *editione* partim amici, partim inimici mouerunt. Illi honestissimo Apostolicarum litterarum desiderio flagrantes, meque sæpiusculè longissimis etiam ex aulis atque Academijs I. II.

demiis de mittendis ſibi exemplis conſalutantes. Hi omnem de iis famam vel mendacio aſſcribentes, vel quando commodum viſum eſt, odioſo proditionis flagello verberantes. Quibus vtriſque vt ſatisfacerem, illis volens, his nolens, ad

III. hanc publicæ editionis ἐπιπομὴν cõfugi, vſpiam etiam priuati honoris mei & ſtatus teſtimoniis inſertis. Quod per Deum te obſecro, *Chriſtiane Lector*, ne iani iactãtię, aut puerili oſtentationi (à qua me tam longè abeſſe volo, quàm verum agnoſco illud [a] Petrarchæ: *Sapientia titulis non eget, per ſe ipſa clara eſt. Quis lucernam quæſo vnquam ſoli vt videretur adhibuit? multi & cum his titulis obſcuri, & abſq; his clariſſimi euaſere. Sæpè nullum bonis, clarum malis mercibus ſignum fuit*) ſed illis ipſis criminatoribus meis aſſcribas, qui quicqd quoquo modo in honorem mei vergere videtur, purè putè negant, purè putè cauillantur, pura puta mendacia eſſe men-

[a] *Franc. Petrarch. Dial. 46. de var. ſtud. tit.*

ſe mentiuntur. Neque ego tamen iſtis tam inuidioſis augumentis occurrerem, niſi hîc rem & ſalutem meam haud alijs præſidiis defendi poſſe viderem. Proximus eſt *ordo*, IV. quem in diſtinguẽdis Epiſtolis, aut diſpartiendis libris, alios è *perſonarum*, alios è *locorum* differentiis mutuari video. Ego contra ac [b] *Plinius*, è temporis ſolum & annorum diſcrimine. Exorſus igitur ab anno ſeculari M. D C. quo primum hanc ſcribendi aleam cœpi, ad præſentem vſque M. D C V. cum ſingulis annis ſingulos libros claudo, vt quæ de meo ſinceriſſimo ad Eccleſiam acceſſu, de Pontificis Max. atque Illuſtriſſimorum Cardinalium benigniſſimo erga me affectu, vel mendaciſſimis hæreticorũ ludibriis opponere, vel piiſſimę poſteritatis memorię commendare ſtatueram, planiori ac perſpicatiori omnia diſcrimine diſtinerentur. *Cognomen* V. nemini ſcrupulum faceſſet. Fateor

[b] *Plin. Secundus li. 1. Epiſt. 1.*

enim à Calendis demum Septembribus M. DCII. mihi illius vſurpãdi ius fuiſſe. At ne binominem me idem libellus haberet, anterioribus etiam Epiſtolis illud infixi, malorũ fortè aliquibus ingratiis, at bonorum libentiſſima venia, quam in pri
VI. us editis iam Epiſtolis (nam de recentibus nihil laboro) vel leuiter immutatis, vel pro neceſſitate auctis amplificatiſque, mihi quoque
VII. firmiter polliceri audeo. De AMOEBAEIS Pontif. Max. atque Ill^orum Cardinaliũ, &c. editis, quid tu ſtomacharis, qui neque meæ, neque illorum voluntatis nutum noſti? Mirare potius humanitatem, amplectere φιλανθρωπίαν tantorum Principum, quos non vereri vides, tantillo cum homuncione, tot annos, tam penè familiari ſcribendi viciſſitudine concertare. Volui ego hoc te condemnare admirabili humilitatis exemplo, volui premere[c] *Romani culminis inuidiam*, quã qui perpetuis

[c] *Hieron. Epiſt. 57. ad Dam. Pap.*

petuis conuiciis exagitant, age habeant hoc perpetuum vanitatis suæ documentum, habeant item irrefragabile causæ meæ fulcimentum, quam suis quoq; præsidiis tueri volui eos, quibus cum (si Diis placet) deliquisse videbar.

VIII. Restat de *stylo*; quem vt in ijsdem Apostolicis mirifica illa Spiritus vis atque ἐνέργεια, omni Ciceroniana Suada superior affatim commendat: ita in meis forte hæret, quod prolixam excusationem mereatur. Idque quia nihil abnuo, ad[d] *S. Hieronymum* properè cõfugio, cui cum *Paulinus* Antiochenæ vrbis Episcopus exprobraret, quod *paruas & incomptas litterulas mitteret; non de incuria hoc venire* respondit, *sed de timore ipsius, ne verbosius ad eum loquens, plura reprehendenda transmitteret. Et nauigandi*, inquit, *tempore tantæ à me simul Epistolæ flagitantur, vt si cuncta ad singulos velim scribere, occurrere nequeam. Vnde accidit, vt omissa compositione verborum*

[d] *Hieron. Epist. 153. ad. Paulin.*

*borum, & ſcribentium ſolicitudine, dictem quicquid in buccam venerit, & amicum te tantùm meorum dictorum, non iudicem conſiderem.* Idem Ruffino: [e] *Ignoſce* inquit, *ſi ſcatens oratio curſu non ſolito fluat. Non enim eodem lepore dictamus quo ſcribimus: quia in altero ſæpe ſtylum vertimus, iterum quæ legi digna ſint ſcripturi: in altero quicquid in buccam venerit, celeri ſermone conuoluimus.* Eadem excuſatio, *candide Lector*, ſi litterulis hiſce meis (meis inquam: de alienis enim abſit tam iniquum calculum feram) rudi certè & vulgari filo contextis prodeſſe poteſt, faue quæſo, ac ſeueram frontem depone. Scripſi ego magnis plerunq; viris ac principibus, quorum cogitatio omnem ingenij aciem præſtringit & hebetat. Scripſi mœſto ſæpè animo, ſæpè ægro, ſæpius occupato. At [f] *quod animo occupato fit, non benè fieri* idem Hieronymus cenſet. [g] *Nec triſtis eſt*, eodem authore, *eloquentia, maximè ſi ad ægritudinem ani-*

[e] *S. Hieron. Epi. 131. ad Ruffin.*

[f] *Hieron. Epiſt. 153. ad Pauli.*

[g] *Epiſt. 31. ad Theop. Epiſc. Alexand.*

*animi, corporis quoque ægritudo accedat*, quæ me quoties afflixerit, norunt ij, quorum sub manibus frequenter anhelaui. Quanquam igitur tutum mihi in illo Ciceroniano præsidiũ: [h] *Epistolam nihil aut iudicio aut concioni simile habere, sed quotidianis verbis texẽdam*: tutius etiam in illo Hieronymiano, [i] *Ecclesiasticas*, siue sacras scriptiones, qualis certè hæc mea est, *etiam si habeant eloquij venustatem, dissimulare eam tamen debere, & fugere, vt non otiosis Philosophorum scholis paucisq; discipulis, sed vniuerso loquantur hominũ generi*: prætexam tamen coronidis loco huic Suadæ meæ, quod [k] *Ouidius* alicubi flaccidæ Musæ suæ ptendit.

h Cicer. 7. Epist. 21. ad Pap. Pæt.

i Epist. 52. ad Pammach. pro li. suis aduers. Ioui.

k Lib. 1. Trist. Eleg. 1.

*Carmina proueniũt animo deducta sereno,*
*Nubila sunt subitis tẽpora nostra malis.*
*Carmina secessum scribentis & otia quærũt,*
*Me mare, me venti, me fera iactat hyẽs.*
*Carminibus metus omnis abest, ego perditus ensem*
*Hæsurum iugulo iam puto iamq; meo.*
*Hæc quoque quæ facio index mirabitur æquus,*
*Scriptaq; cum venia qualiacunq; leget.*

FINIS

CLARISSIMO VIRO

# D. IVSTO BARONIO VETERACASTRENSI IN CATHOLICÆ ECCLESIÆ PORTVM feliciter recepto.

## IVSTVM

Deduxit (Dominus) per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum.
Sap. 10. 10.

*CAndida Religio, veterumq; antistita morum*
*Et veri dux vna fides, tuq; arbitra mundi*
IVSTITIA, *optanti noua suffice gaudia cœlo.*
*Ecce tuus tibi* IVSTVS *adest, iã iustus apertas*
*Hæreseon surgit nubem eluctatus in auras.*
*Fallendiq; æstus, abiuratasq; tenebras,*
*Præterita in puro cognoscit damna sereno.*
*Talis erat dominâ postquam Memphitide pressum*
*Iosephus tetro Iustus caput extulit antro,*
*Vt faceret Pharios terrarum arbitria curru.*
*Tu dominam infamem, densæ caliginis vmbras,*
*Seruitiumq; animæ iã vindice lumine Christi*
*Egressus, sanctâ cum libertate, fideq;*
*Ducis inoffenso constãtem tramite gressum,*
*Sidereamq; viam, & tritos cœlestibus orbes,*
*Ter fœlix, solidoq; locas vestigia* VERO.

Aspi-

*Aſpice quâ æterno teritur petra ardua calle,*
*Hanc firmata ſuper fulgenti Eccleſia cœtu,*
*Immoto perſtat vultu immutabilis, vnum*
*Doctrinæ & morum ſeruans ſincera tenorem.*
*Non illa ancipiti mentem fruſtrata figurâ*
*Præcipitat dubiam ſenſus variante ſalutem,*
*At recto ſtabiliq́ gradu fida inferet aſtris*
*Inculpatam animam, vitæ aſpera vincere*
*cuncta, &*
*Subter humi ſtratis docet inſultare periclis.*
*Certa via, & longo ſæclorum plana meatu*
*Et diuerticulis ſectarum imperdita conſtat.*
*Hæc quia te reducem, leni* IVSTE *agmine*
*ducens*
*Emeritum ætheream fert admotura coronæ,*
*Perge alacer, quoniam tot ierunt ſæcula ductu,*
*Neu metue, illa etiam priuatum lumine*
*Saulum,*
*Quàm ſua cernentem, ſecurius orbita vexit.*
*Hac olim* AVRELIVS *varijs anfractibus actus*
*Dum reprobat, repetitq́ vias, in pace quieta*
*Sollicitam ingemuit, raptamq́ per inuia vi-*
*tam,*
*Erroresq́ ſuos: Huc errabunda Luthero*
*Contẽpto retulit* STAPHYLVS *veſtigia: Magn⁹*
*Te Exemplo, ſcriptiſq́ grauis* PISTORIVS
*anteit*
*Proximus, inq́ viam docet auia corda reuerti,*
*Palantesq́ animas Fidei, cœloq́ reducit.*
*Huc te etiã immenſos poſt magni pectoris æſtus*
*E labyrinthæis ambagibus extricatum*

*Sum-*

*Sũma Dei eduxit clementia* IVSTE; *nec illum*
*Aut latuit studium, aut pia cura impensa saluti,*
*Et toties vigiles in veri indagine noctes.*
*Cum veterum crebro monumenta exacta remensus,*
*Et præcepta Patrũ, Magnæ concordia Romæ;*
*Atq; aliena nouis emirabarẽ magistris,*
*Adfuit, & blando cita pectora perculit ictu*
GRATIA, *dum medio pendes discrimine rerum*
*Et verum damnas animo alternãte probasq;;*
*Postquam nocte animi excussâ, vinclisq; solutis*
*Aetheream toto admisisti pectore lucem.*
*Tum vero inuicto fulsit constantia scuto,*
*Et triplici Heroos artus adamante reuinxit.*
*Nõ graue propositum carissima pignora nati,*
*Coniugij non fregit amor, non fama malignis*
*Pronior, &* IVSTI *virtutibus inuida mouit.*
*Et merito patriâ, quam Christo agere exul adempto*
*Maluit, & patrio bene profumo astra paciſci,*
*Iam sic ille fide meritisq; adspirat olympo,*
*Sic aliys prætentat iter, quos nocte profunda*
*Lux summâ de luce Deo, Deus euocet vltrò*
*In regnum, & puro det lumine posse renasci.*

A. C. M.

IN-

# INDEX
## EPISTOLARVM,
### Cui quæq; à quoq; scripta sit.


*Ab. S. E. H.*
Iust. Baron. lib 5. Epist. 10. p. 370.

*Andreæ Vermadio Societ. Iesu Theologo.*
Iust. Baron. lib. 1. Epist. 1. p. 1. & Epist. 3. p. 16. Et Epist. 6. p. 32. Et lib. 3. Epist. 14. p. 263.

*D. Bernhardino Paulino S. D. N. Datario.*
Iust. Baron. l. 3. Epist. 17. p. 287. Et lib. 6. Epist. 3. p. 391.

BVLLA S. Inquisit. Rom. super lectione libror. prohibit. lib. 4. p. 335.

*D. Cæsari Baronio Sorano, S. R. E. Cardinali.*
Iustus Baron. lib. 1. Epist. 8. p. 44. Et lib. 2. Epist. 5. p. 66. Et Epist. 8. p. 88. Et Epist. 16. p. 159. Et lib. 3. Epist. 10. p. 240. Et Epist. 16. p. 284. Et lib. 4. Epist. 5. p. 315. Et Epist. 14. p. 333. Et lib. 5. Epist. 1. p. 343. Et lib. 6. Epist. 1. p. 374.

*D. Cinthio Aldobrand. S. R. E. Cardinali.*
Iust. Baron. lib. 2. Epist. 17. p. 163. Et lib. 4. Epist. 7. p. 319.

D. CLEMENTI VIII. *Pontif. Max.*
Iust. Baron. lib. 1. Epist. 7. p. 33. Et lib. 2. Epist. 7. p. 84. Et Epist. 15. p. 156. Et lib. 3. Epist. 15. p. 280. Et lib. 6. Epist. 2. p. 388.

*Danieli Tossano, Acad. Heidelb. Profess.*
Iust. Baron. lib. 3. Epist. 1. p. 206. Nicol. Serarius. lib. 2 Epist. 22. p 172. Et lib. 3. Epist. 19. p. 289.

*Dauïdi Pareo Acad. Heidelb. Profess.*
Iust. Baron. lib. 2. Epist. 13. p. 102.

*Frid. Husmanno à Namedei, viro Nob^mo*
Iustus Baron. lib. 5. Epist. 4. p. 348.

*D. Georg. Friderico à Greifsenclauu, Metropol. Eccles. Mog^æ Præposito.*
Iust. Baron. lib. 5. Epist. 11. p. 372.


Gre

*Gregorio Renato.*
Iust. Baron. lib. 1. Epist. 4. p. 21.
*Henrico Bellano.*
Iust. Baron. lib. 2. Epist. 12. p. 96. Et Epist. 14. p. 106.
*Henrico Caluino.*
Iust. Baron. lib. 2. Epist. 14. p. 106.
*D. Ioanni Adamo Archp° & Electori Mog°.*
Cæsar Barorius S. R. E. Cardinalis lib. 3. Epist. 9. p. 239.
Iust. Baron. lib. 3. Epist. 4. p. 227..
*Joann. Mulhusino Societ. Iesu Theologo.*
Iust. Baron. lib. 3. Epist. 6. p 231.
*D. Ioann. Pistorio Præposito Vratislauiensi.*
Iust. Baron. lib. 4. Epist 9. p. 323.
*D. Ioan. Schuicardo à Crôberg Metropol. Eccl. Mog^x Decano.*
Iust. Baron. lib. 3. Epist. 5. p. 229.
*Eidem D. Ioan. Schuicardo Archp° & Electori Mog°.*
Iust. Baron. lib. 5. Epist. 5. p. 352.
*Iosepho Windenio, Doctori Iureconsulto.*
Iust. Baron. lib. 1. Epist. 10. p. 53.
*D. Iulio Episcopo Herbipol. Francon. Duci.*
Iust. Baron. lib. 4. Epist. 15. p. 339.
*Iusto Baronio Veteracastrensi.*
Andreas Vermad. Societ. Iesu Theol. lib. 1. Epist. 2. p. 8. & Epist. 5. p. 30.
D. Bernhard. Pavlinvs S. D. N. Datarius, lib. 4. Epist. 4. p. 314.
D. Cæsar Baronivs S. R. E. Cardinal. lib. 2. Epist. 3. p. 64. Et Epist. 11. p. 95. Et Epist. 19. p. 168. Et lib. 3. Epist. 12. p. 258. Et lib 4. Epist. 12. p. 331.
D. Cinthivs Aldobrand. S. R. E. Cardinal. lib. 2. Epist. 2. p. 63. Et Epist. 10. p. 94. Et Epist. 21. p. 171. Et lib. 4. Epist. 2. p. 312.
D. Clemens VIII. Pontif. Max.

Max. lib. 2. Epist. 1. p 57. Et Epist. 9 p. 90. Et Epist. 20. p. 169. Et lib. 4. Epist. 1. p. 308.

D. IVLIVS EPISCOP. HERBIPOL. Franconiæ Dux. lib. 4. Epist. 16. p. 341.

LVDOVICVS SCHVVARTZMEIER S. Cæs. Maiest. à consil. lib. 3. Epist. 2. p. 223.

D. OCTAVIVS PARAVICINVS S. R. E. Cardinal. lib. 4. Epist. 3. p. 313. Et Epist. 10. p. 326. Et lib. 5 Epist. 2. p. 345. Et Epist. 7. p. 360.

D. ROBERT. BELLARMINVS S. R. E. Cardinal. Archiepiscop. Capuæ. lib. 2. Epist. 4. p. 64. Et lib. 3. Epist. 8. p. 237. Et Epist. 11. p. 257.

*Ludouico SchvvartZmeiero à SchvvartZenaun S. Cæs. Maiest. à consil.*

Iust. Baron. lib. 3 Epist. 13. p. 260.

*N. N.*

Iustus Baron. lib. 5. Epist. 8. p. 361.

*Nicolao Serario Societ. Iesu Theologo.*

D. Cæsar Baronius S. R. E. Cardinal. lib. 4. Epist. 13. p. 332.

*D. Octauio Parauicino S. R. E. Cardinali.*

Iustus Baron. lib. 2. Epist. 6. p. 79. Et lib 4. Epist. 8. p. 321. Et Epist. 11. p. 327. Et lib. 5. Epist. 3. p. 346.

ORATIO de damnis Germaniæ per hodiernas hæreses illatis. lib. 2. p. 68.

*D. Philippo Electo Episcopo VVormatiensi.*

Iust. Baron. lib. 5. Epist. 9 p. 369.

*D. Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Capuæ.*

Iust. Baron. lib. 1. Epist. 9. p. 50. & lib. 2. Epist. 18. p. 166. Et lib. 3. Epist. 3. p. 225. Et Epist. 7. p. 236. Et lib. 4. Epist. 6. p. 517.

TESTIMONIVM Absolutionis S. Inquisit. Rom. lib. 3. p. 234.

*Testimonium* Facultatis Theologicæ, Illust. Acad. Perusinæ. lib. 3. p. 243.

*Testi-*

*Testimonium* Facultatis Iuridicæ Illust. Acad. Senensis lib. 3. p. 251.

*Thomæ Bozio, Congregat. Orat. Theologo præstantiß.* Iust. Baron. lib. 3. Epist. 18. p. 287.

*Valetino Leuchtio. Doct. Theol. Canonic. Francofurt.* Iust. Baron. lib. 5. Epist. 6. 357.

# IVSTI BARONII VETERACASTRENSIS EPISTOLARVM SACRARVM

## LIBER I.

### EPISTOLA I.

*IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS ANDREAE VERMADIO, Societatis Iesu Theologo. S.P.D.*

*De principiis fidei Catholicæ, ac potissimum de Verbo Dei.*

MIRABERIS fortasse quid sit, REVERENDE VERMADI, quod ab eo tempore, quo nuper fuimus vnà, placidamque inter nos de fide συζήτησιν habuimus, ego contra promissi fidē litteras tibi mittere intermiserim. Quod etsi minus rectè factum agnosco; tamen quia necessitate potius quàm negligentia prætermissum est, spero veniam dabis, meque tardius loquentem benignius auidiusque audies. Primum autem hoc tibi ante omnia certum esse volo, quod nuper etiam manifesto argumento perspicere potuisti,

iam per Dei gratiam, multorumq; auctorū indefessam lectionē ita mihi fidē Catholicā persuasam, vt [a] *extra eam nullā Ecclesiam nullā salutē esse*, firmiter credā & statuā. Sed quia multa sæpè incidunt calumniâ quadā, & malitiosa scripturarum interpretatione, quæ vel pspicacissimis fucū facere, & tanquam nebulâ veritatis serenitatem offuscare queunt: magnoperè curandum existimo, vt proficiscentibus ad [b] *Ciuitatem Dei*, [c] *cuius Rex veritas, cuius Lex charitas, cuius modus æternitas*: planum in offensumque iterparemus: ne hic vel illic impingentes hæreant, & dubia fide cum [d] *potestatibus tenebrarum* congrediantur. Qua de causa meam ad vos trāsmigrationem neutiquam præcipitandam arbitror: donec indurata melius ad solem cornua conflictum occursantium hostium ferre strenuius ac superare possint. Interim quia [e] *Christiana anima pabulum hoc esse nosti, si in lege Domini meditetur die ac nocte:* Si compendio agitatas hodiè controuersias tractare, & quasi ruminandas nobis proponere velimus, hac diuisione, vt puto, commodissimè procedemus.

*a August. Tract. 13. ad c. 3. Ioan. 1. q. 1. c. Tenemus. Cypri. de Vnit. Eccl. s. c. 4. 24. q. 1. c. Loqu. Hieron. Epist. 57 ad Damas. 24. q. 1. c. Quoniam.*

*b August. lib. 2. Retract. c. 43. & Epi. 102 ad Nectar.*

*c Idem Epi. 5. ad Marcell.*

*d Coloss. 2. 15.*

*e Psal. 1. 2. Hieron. Epist. 6. ad Florent.*

*Theologia generalis distributio bipartita*

Omnis quæ de rebus diuinis cogitatio suscipitur, vel de Principijs fidei est, vel de ijs quę ex principijs illis extruuntur. *Principia* voco rationes & firmamenta, quibus id

quod credendum faciendumue proponitur, verum iustumque esse demonstratur. Etsi enim fides ἀναπόδεικτος est, vt pulchrè *Nazianzenus* alicubi loquitur, & propterea definitur ab Apostolo [f] *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: id tamen magis ad quæstionem [g] διότι quàm ὅτι pertinere existimo. Nam

[h] *Quod latet, ignotum est: ignoti nulla cupido.*

f Hebr. 11.

g Arist. 2. Anal. 1.

h Ouid. 3. de arte.

Nec quisquam credo inficiabit, vel generalem saltem rationem veritatis, honestatis & rectitudinis, fidei obedientiæq; veræ substratam esse oportere. Quare enim hoc vel illud credam, quod tu credendum Ecclesiæ proponis? quia verum certumq; id esse vel ratio sana, vel diuina patefactio docet. Quare hoc vel illud faciam, quod tu adeò seuerè mãdas & præcipis. Quia iustum bonumq; id esse iterum vel naturę instinctus, vel iussum diuinũ ostendit. Hactenus sanè rationẽ ꝓcedere nemo sanus negarit. At si iã rationis istius id est, mandati aut patefactionis diuinæ (quam quidẽ talẽ esse cõstat) rationẽ poscas, ibi mentẽ subsistere, seq; in [i] *obedientiã fidei subiugatis sensib⁹* submittere oportere, libens agnosco & fateor. Neq; enim rationibus nobiscum Deus agit, sed legibus. At *legem breuem esse oportet*,

i 2. Corinth. 10. 6.

ait rectè [k] Seneca, *quò facilius ab Imperitis teneatur, velut emissa diuinitus vox: quæ iubeat non disputet.* Et [l] Augustino authore, *Non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimos facit.*

k Epist. 95.

l Epist. 56. ad Dioscorum.

*Principia Theologiæ duplicia.*

Cæterum principia ille fidei & morum generalissima diuisione vel naturalia sunt, vel (vt consueto Theologorum verbo vtar,) supernaturalia. *Naturalia* appello, quæ vel à natura ipsa arripuimus, hausimᵖ, expressimus, vel ab hominibus [m] *animalibus* didicimus, legimus, accepimus, adeoq; ad quæ partim docti & instituti, partim facti & imbuti sumus. Tametsi enim non ignoro, vehementer peccato lęsam esse hominis mentem, [n] *totumq; Adamum* (vt Cõcilio etiam Tridentino placuit) *per illam prævaricationis offensam, secundum corpus & animam in deterius commutatum*: palàm tamen est, tãtum illi naturalis luminis superesse, vt non solum veritates theoricas & mechanicas, quæ in artibus humanis & naturalibus continentur, cognoscere possit, verum etiam bonum verumq; morale, vniuersè consideratum: vt Deum esse colendum, parentes venerandos, liberos diligendos, &c. Quid enim aliud voluit Apostolus cum scripsit, [o] Τὸ γνωστὸν θεοῦ *etiam gentibus* ex mundi structura *manifestum esse?* Et sanè historiæ scriptaq; Philosophorum testan-

m 1. Cor. 2. 14.

n Conc. Trid. sess. 5. decr. de peccato originali. §. 1. Bellar. lib. 4. de grat. & lib. arbit. c. 2. Caluin. lib. 2. instit. c. 2. §. 12. & 13.

o Rom. 1. 19.

tur

tur [p] non vulgarem eos, sed valde præclaram & Illustrem Dei cognitionem habuisse: idq; non tantùm per manus accepta traditione Iudæorum, aut peculiari Dei afflatu, sed plerumque etiam naturalis ingenij solertiæq; adiumento, Philosophiæque in primis ductu & auspicio. Quanquam neq; magnum hoc mundi spectaculum abistis subsidijs eximendum duco. [q] Plato enim nõ immeritò *mundũ Epistolam* vocauit *Dei patris ad genus humanum*. Et [r] *Antonius* ille *Eremita* omnibus libris & præceptoribus destitutus, *ipsam naturam creaturarum* dixit *sibi esse librum perpetuò præsentem, in quo verba Dei relegere, quoties liberet, liceret*. De hoc naturalium principiorũ genere, quod ad hanc quidem causam attinet, nullam admodum litem esse existimo. Fatemur enim vtrique, extra Ecclesiam, & in ijs qui nondum sunt diuinitus illuminati, aliquid ea quidem, sed non satis momenti habere, ad conuincendum animum, & de diuinis mysterijs erudiendum. De Christo enim nihil habent, nihil de Euangelio. In Ecclesia verò, vbi animi iam perfectiori doctrina imbuti, pleneq; de omnibus ad salutem pertinentibus instructi sunt, illa sublunaria vel tanquam similitudines fidem illustrant, vel tanquam secundaria & succenturiata argumenta obscurè infirmiterque confirmant.

[p] *Bellar. li. 4. de grat. & li. arbit. c. 2. & li. 5. ibidem c. 12. & sequentibus. Aretius proble. 1. de natura Dei cognitione.*

[q] *Plato in Timæo.*

[r] *Hist. Trip. part. lib. 8. cap. 2.*

Iam ad *Supernaturalia* Principia vt veniã, sunt illa testificationes ipsius verissimi sapientissimiq; Dei, qui [s] *multifariam multisque modis olim locutus patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio*, & adhuc loquitur per ministros legitimè vocatos & ordinatos, vt [t] *ad consummationẽ vsq; seculi duret adificatio corporis Christi, omnesq; perfecti fiamus eodẽ sensu & fide*, neque sit in nobis [v] *ruga* erroris, vel *macula* impietatis. Hi θεόπνευστοι λόγοι, medicina animorũ, ac [x] *lucerna pedum nostrorum*, quin & [y] *virtus Dei in salutem omni credẽti*, miserrimo planè fato nostro in *pomũ Eridos* hodiè cõmutantur, & tanquã *Helena* quædam tot años Catholicos protestãtesq; exercẽt. Capita autẽ controuersiæ, si rectè subduxi, nouem hisce quæstionibus continentur.

[s] Heb. 1. 1.

[t] Eph. 4. 13.

[v] Eph 5. 27.

[x] Psal. 118. 105

[y] Rom. 1. 16.

*Controuersia de Verbo Dei, capita nouem.*

1 Vbi patefactiones illę diuinę olim hominibus factæ inueniãtur: vtrũ in solo Dei verbo, quod scripturam canonicã appellamus: an verò extra verbũ Dei in reuelationib[9] & somnijs priuatis: an denique partim verbo Dei scripto, partim traditionibus non scriptis, quas propterea [z] *pari pietatis affectu* cũ scripturis suscipi necesse sit.

[z] Concil. Trid. sess. 4. de canon. script.

2 An illę patefactiones diuinę siue in scripturas siue in traditiones relatę, fideliter ab authoribus consignatæ, & à posteris incorruptæ seruatæ sint, ita vt à nobis certã fidem auctoritatéq; mereantur. Quod partim cõ-

tra

tra veteres hæresiarchas, *Simonianos, Basilidianos, Marcionitas, &c.* partim ét cõtra *Iudæos, Mahumetistas,* & *Libertinos* dispiciendum est.

3 Quinã sint illi libri à Deo inspirati, & à Prophetis Apostolisq; consignati, quo iudicio cognoscãtur, & ab alijs profanis vel Apocryphis discernantur: suane aliqua propria nota & indicio omnib⁹ conspicuo, an verò Ecclesiæ tantũ discretione & iudicatu.

4 In quorum potestate istorum librorum verè sacrorum & canonicorum lectio sit, aliquorũ ne perfectiorum tantum, an verò omnium promiscuè Christianorum.

5 Si omnium; qua lingua tum publicè & priuatim legi: tum etiam in quam scripturę transferri possint & debeant.

6 An scripturarum qualescunque versiones parem cum authentica lingua authoritatem habeant.

7 An istorum librorum sacrorum stylus ita perspicuus, & dilucidus sit, vt à quouis non tantum legi, verum etiam rectè intelligi, & ad controuersiarum diiudicationem securè applicari possint.

8 Si alicubi obscura, ambigua, flexiloqua diuina pronunciata videantur, vnde interpretatio eorum petenda: vtrum ex ipsa scriptura, aliorum locorum facta collatione, an verò aliunde ab aliquo iudice & interprete spirituali.

9 Denique an interpretationes & decreta Pontificum Romanorum, item Cõciliorum, sint certum principium Theologicũ, cui tuto fides committi possit & debeat.

Hisce nouem quæstionibus, mi VERMADI, omnia contineri existimo, quæ à Theologis in hac materia cõtrouerti nũc solẽt. Si quid præterea est, quod in disceptationem veniat, velim moneri à te, & de his breuiter instrui, vt quid Catholicæ fidei assecla tenere necesse sit, tuo quoque suffragio cognoscam. Fateor enim cum [a] S. Hieronymo, *nunquam me in diuinis rebus proprys viribus credere velle, nec habere opinionem meam, sed ea etiam de quibus scire arbitror, interrogare solere. Quanto magis super ijs, de quibus anceps sum?* Nec parum iuuat consensum videre piorum, & à diuersis idem doceri, non postremum est veræ prædicationis argumentum. Vale mi PATER, proq; salute mea vota apud Deum interpone. Heidel. prid. Calend. Iunij. Anno seculari. M. DC.

[a] *Hieron. Epist. 108. ad Domni. & Rogat. in li. paral.*

## EPISTOLA II.

### *ANDREAS VERMADIVS SOCIETATIS IESV PRESBYTER Iusto Baronio Veteracastrensi S.P.D.*

*Soluuntur propositæ quæstiones IX. de Verbo Dei.*

MIRABAR sanè quod scribis, silentium tuum, mi IVSTE, tam diuturnum præ-

ser-

sertim tamq; pertinax. Sed abundè satisfeciſti proximis literis tuis, quibus conceptã nobis ſpem de te magis magiſque confirmaſti: tantoque nos in CHRISTO affeciſti gaudio, vt non poſſimus non plurimum gratulari tibi & nobis, de tam excelſo animo veritatis amante, & auido cognitionis rerum ad æternam ſalutem ſpectantium: quarum fundamenta ſunt quæſtiones nouem de patefactionibus diuinis propoſitæ. Quas etſi ſufficienter [a] *Bellarminus* noſter explicauit, tamen quia meam etiam ſententiã requiris, ne amici videar deeſſe officio, breuiter animi ſenſa aperiam, & quid hæreticis iſta proponentibus reſpondendum putem, monebo.

[a] *Tom. 1. controu. 1. General.*

Ac primum de prima quæſtione quàm impiè ſentiant *Swenckfeldiani* ac *Fanatici*, in vulgus notum eſt. Profiteor autem ego cum Eccleſia Catholica, patefactiones illas, quibus Deus notitiam mentis ſuæ veriſſimam hominibus manifeſtat, verbo DEI, quâ ſcripto, quâ tradito, contineri; nec video quo ſolo fundati Proteſtantes hãc ſententiam negare auſint verbis, quam reipſa & facto veritati conſonam teſtantur. CREDVNT vna mecum, libros veteris & noui teſtamenti verè diuinos, quod ſanè ex ſcriptura nullo modo, ex traditione autem ſola conſtare poteſt. Nam vt rectè ait [b] Bellar-

*Verbum Dei duplex, ſcriptũ & non ſcriptũ*

[b] *Bellar. lib. 4. de Verb. Dei non ſcript. c. 4.*

minus, *libros prophetarum & Apostolorum, etiamsi scriptura dicat esse diuinos, huic tamen infallibilem adhibere non possumus fidem, nisi prius crediderimus, scripturam quæ hoc affirmat, diuinam esse.* CREDVNT vnà mecum,[c] Euangelia *Marci* & *Lucæ* esse vera, Euangelia *Thomæ* & *Bartholomæi* esse falsa, cum ratio potius dictet, magis credendum libro præferenti titulum Apostoli, quàm non Apostoli. Hæc autẽ fides ex scripturis haberi non potest, sed ex traditione constat. CREDVNT vnà mecũ, quod distinctio diuinarũ personarum sit per Relationes, quod Pater sit ingenitus. Filius à patre genitus. Spiritus Sanctus à Filio Patreq; procedens; sed nullã Dei patefactionem in sacris scripturis expressam reperimus, quæ hunc fidei articulũ disertis verbis eloquatur, sed illæ quæ quasi per manus traditæ à CHRISTO & Apostolis continua successione ad nos vsq; peruenerunt. CREDVNT vna mecum, paruulos ante rationis vsum vtiliter baptismatis sacramẽto initiari, cùm tamen illud dogma non habeat in scripturis testimonia. Scio[d] *D. Augustinũ* ad illud confirmadũ allegoriã circũcisionis proferre, & alios alia; ex quibus tamen non firmã & solidã probationem desumi posse affirmat, sed tantũ probabilem coniecturam. *D. Augustini* verba hæc sunt. *Traditã tenet vniuersitas Ecclesiæ, quod paruulis*

[c] *Bellarm. ibidem.*

[d] *August. lib. 4. cont. Donatist. cap. 23.*

*uuli infantes baptizantur, qui* [e] *corde nondum possunt credere ad iustitiam & ore confiteri ad salutem. Et si quisquam in hac re authoritatẽ diuinam quærat, quanquã quod uniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliys Institutũ, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur: tamen veraciter conijcere possumus ex Circũcisione carnis, quã* [f] *prior populus accepit.* Dũ addit *(veraciter cõijcere possumus)* nihil aliud insinuat, quam firmã hanc rationẽ non esse, sed probabilẽ coniecturã; robur autẽ suum hoc dogma ex tradita patefactione diuina adipisci. Cũ igitur hęc & similia fide teneant nobiscũ, & tenẽda prædicent: nihilq; credendũ censeãt, & meritò, nisi quod DEVS reuelauit, ac patefecit, aueo cognoscere, quo fundamento nixi, traditum Dei verbum tollant, quod reipsa ponunt.

[e] Rom. 10. 10

[f] Gen. 17. 10

Iam de *secunda quæstione* ingenuè confitentur & docent, docueruntq; & confessi sunt semper omnes Catholici; auctores à quibus diuinæ patefactiones cõsignatę sũt, eam dignitatem, reuerentiam, authoritatem & fidem mereri, vt de eorum fidelitate dubitari disceptariue à nemine possit, multisque rationibus falsitatis arguuntur *Iudæi* & *Mahumetani*, qui cæca infidelitatis caligine immersi, claram veritatis lucem in dubium vocant.

*Authoritas Verbi Dei, totiusq; Religionis Christianæ*

Prima

Prima ducitur ab eorum conditione & auctoritate, q̃ fidé Christianã olim receprunt: qua vtitur LACTANTIVS *lib. 5. diuin. Instit. ca. 13.* & S. AVGVSTINVS *lib. 1. de vtil. credend. cap. 14.*

Secunda ducitur à constantia Martyrũ, qua IVSTINVS *Apologia 1. ad Senat. Roman.* testatur, se maximè fuisse motum ad fidem: & ea etiam vtitur LACTANTIVS *lib. 5. Institu. diuin. cap. 13. & 14.*

Tertia ratio ducitur à mirifica mutatione animi eorum, qui fidem Christianam suscipiunt & colunt: qua vsi sunt S. IVSTINVS *Apolog. 2. pro Christianis ad Antonin. Pium Imper.* TERTVLLIANVS *lib. ad Scapulam.* LACTANTIVS *lib. 3. diuin. Instit. cap. 26.*

Quarta ducitur à modo, quo olim fuit propugnata. Hac vtitur IVSTINVS Martyr *Apolog. 2. ad Antonin. Pium.* CHRYSOSTOMVS *Homil. 34. in Matth. Homil. 4. & 5. in 1. ad Corinth.* D. AVGVSTINVS *lib. 22. de ciuit. DEI cap. 5.* DAMASCENVS *lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 4.*

Quinta à miraculis, quę vel ob eam rem maximè, quasi antonomasticôs nominari solent *signa*, quia cum primis significant atque declarant, eam doctrinam diuinitus probari, atque adeò veram esse, cuius ad confirmationem edantur. Hac vsus est D. CHRYSOSTOMVS, *Homil. 3. in 2. ad Corinth.*

D. Au-

D. AVGVSTINVS, *lib. 22. de ciuitat. Dei cap. 8. & lib. de Vtilit. credend. cap. 16.* Plures aliæ adduci possunt, desumptæ ab eorum testimonio, qui fidem nostram non receperũt, ab eorum cladibus, qui eam oppugnarunt; à Propheticis prædictionibus, à sanctitate & rectitudine doctrinę & similibus. Ex quibus manifestum fit, patefactiones illas à nobis indubitatam fidem mereri, & cæcos esse *Iudæos* ac *Mahumetanos*, qui tam manifestam veritatis lucem non sentiunt.

*Canon scripturæ.*

Venio ad *tertiam quæstionem*, quæ cum duarum sit partium, geminam responsionem postulat. Ad priorem partem, qua quæritur, quinam sint Canonici, respondeo cum œcumenica ac generali *Tridentina Synodo, sessione quarta*: quam ipse domi priuatim legere potes. Ad posteriorem, qua quæritur, quo Iudicio distinguantur Canonici ab Apocryphis: profiteor contra CALVINVM, cum Ecclesia Catholica: iudicio priuati spiritus, vel internæ testificationis, non posse discerni, sed Ecclesiæ iudicio & authoritate: nec illius solum Ecclesiæ, quæ temporibus Apostolorum fuit, vt LVTHERVS opinatus est; sed etiam illius, quæ Apostolos secuta est. Stat enim *D. Pauli* sententia [g], *Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis.*

*Canonicorum librorum ab Apocryphis distinctio.*

*Scriptura à quibus legenda.*

Ad *quartam quæstionem* respondeo, duplex

[g] 1 Tim. 3. 15.

plex esse genus hominum Christianorum, alterum quod præiudicato iam errore occupatum, eò sua legendæ scripturæ studia refert, vt erroris, quo imbutum est, fulcimenta corradat, & non tam ex communi Ecclesiæ consensu, quàm suopte iudicio peroffectum corrupto sententiam sibi scripturæ confingat. Alterum verò quod mente sincera ac humili plus Ecclesiæ quàm proprio iudicio confidens, eò sedula lectione progreditur, vt signatam ante à patribus scripturæ sententiam firmiter insistat: atque hoc ipsum esse genus hominum dicimus, quod securè simul ac vtiliter sacrã paginam potest euoluere. Istud verò minimè, cùm sanam sibi conficere medicinam insani ministerio iudicij non minus queat, quàm si imperitum vulgus ex benè instructa Apotheca sorbitiunculam contra omnis generis morbos conficere præsumeret.

*Quo Idiomate scriptura legenda.*

Quintò *qua lingua Sacræ reddi debeant litera ac peruulgari*, si ex Protestantium principio respondere quis velit, dicat necessum est, non alia, quàm qua primum fuerunt conscriptæ. Quod enim verti debeant in aliam, nusquam præceptum legimus. Nihil autem faciendum à quoquam illi contendunt, quod scripturâ sacrâ non præcipiatur. At verò secundum Catholicorum sententiam

tiam haud grauatè conceditur, vt eo, quo supra diximus modo, ab omnibus lingua patria legantur.

Sextò *Scripturæ versiones qualescunq;* nullus probauerit Catholicorum, nisi quas Ecclesiæ authoritas comprobauerit, cuius est decernere, conueniat ne patria versio cum authentica, an discrepet. *Versiones scripturarum varia.*

Postremò, vt reliqua omnia vno fasce complectar, *scripturam non omnibus intellectu facilem*, doctorum studia & concertationes patefaciunt, ideò quæ obscura & ambigua sunt, si facta aliorum locorum collatione explicari possunt, rectè quidem: sin minus, ad Ecclesiam summumq; Pastorem referentur. [h] Illorum enim iudicio standū, nascentis Ecclesiæ praxis docuit. *Scripturarum obscuritas.*

[h] *Matth. 18. 17. Luc. 10. 16. Act. 15. & 22. 28.*

Hæc sunt, quæ ad quęstiones nouem in tanta temporis angustia & laborum distractione, qui per infirmitatem Concionatoris nostri mihi impositi sunt, respondere licuit, quæq; aduersarijs ista perquirentibus rectè responderi posse puto. Si quid præterea est, priuato studio facile inuestigabis.

Nostræ Epistolæ modus plura ferre recusauit. Vale. Spiræ. 3. Cal. Iulij. Anno seculari. M. D C.

EPI-

## EPISTOLA III.

## *IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS ANDREAE VERMADIO, Societatis Iesu Theologo S.P.D.*

PARVM fideli nuntio commisisti tuas PATER: obiecitq; ea sors nonsolum magno me discrimini, verum & ab hoc pertexendarum controuersiarum cœpto planè deiecit. Quod quemadmodũ acciderit, coram narrabo. Nunc illud scito, proditis litteris diem mihi dictum, ac tantum non tribunal inter amicos statutum fuisse. Vnus eorum, grauem exorsus orationem, vehementissimè mecum queri cœpit, rogauitq;, quid mihi rei esset cum IESVITIS, veritatis & bonorum omnium (quod absit) hostibus, quibus cum tam familiariter conuersarer, tam amicè consilia de religione communicarem. Ac ne quid negare ausim, ad manum esse litteras Iesuiticas, *Spiræ* non ita pridem ad me missas, quæ diuina gubernante manu patefactæ omne consilium meum patefecerint. Id verò parum decere sincerioris fidei sectatorem & magistrum. [a] *Paulum* omne cum infidelibus commercium prohibere: multo igitur magis cum *Antichristi* famulis, &c. Quæ cum ego audissem, perterritus nonnihil, iniquitate

[a] 2. Corint. 6. 14. 2. Ioan. 10. 11.

tate tamen rei commotus, acri promptoq; sermone excusationem mei orsus sum. Quid? inquam: vos ne ita sinistrè de viris optimis & doctissimis, quamuis aduersarijs vestris sentiretis, vt disputationes etiam cum illis & amicitiam in vitio ponere non vereamini? Quis, vllius erroris conuicit IESVITAS? Quis *Antichristi* famulos esse demonstrauit? Vestra quidem id præsumptio habet, & pulpita vestra nihil aliud sonant, sed infirmis admodum argumentis, & si calumnias excipias, nullis. Imò verò illi *Catholici* nominis possessione gaudent, nec dum video magnoperè, multum licet multis contra tumultuantibus & perstrepentibus, hanc ipsorum gloriationem retusam. Ostendite vos, si potestis, IESVITAS vel in Deum blasphemos, vel in proximum contumelioſos, vel in docendo erroneos, vel in conuersatione lubricos aut perfidos esse: fatebor *Antichristianos* dicendos, fatebor iniquè à me factum, qui amicitia cum illis contracta, religionis negotia tractare cœperim.

Hic illi interpellantes (plura enim subiecturum videbant) Ergone, inquiũt, tu ad *Papistas* transibis? Si ita animatus es, actum de te est, actum de omni tua & liberorum tuorum fortuna. Tum ego: Hem inquam, tam subitonè vobis *Papista*? De dogmatib⁹

nondum vidimus, litteras tantum meas excuſo, neque æquum arbitror, homines immerentes, inauditos, nedum conuictos, tam iniqua cenſeri lege, vt alloquio etiam & litteris virorum bonorum iudicentur indigni. Quid ſi illi de vobis tale iudicium ferãt, voſq; hæreticos, vel ſchiſmaticos, atque à veteri Apoſtolica Eccleſia Apoſtaticos dicant, nonne grauem vobis iniuriam illatam queremini? Nonne cœlos & ſidera teſtabimini, quin & martyres vos pronunciabitis? Nolite [b] *affectu religionem metiri, ſed veritate*, alioqui *ſua cuiq; videbitur veriſſima*. Sentio ego à me *Ieſuitas ἀνεῳγμένας μουσῶν θύρας: apertas muſarum fores*, conſuli debere ac poſſe meritò: idque non humanitatis tantum, ſed & ſingularis eruditionis doctrinæque laude. Neque id poſtulo, vt mea tantum fide credatis: credite [c] *Wittakro* veſtro, credite [d] *Iunio*, credite cæteris profeſſoribus ac paſtoribus veſtris, qui nullam ſibi ſatis phaleratam habere videntur lectionem aut concionem, niſi domi poſt pulpita *Caniſium*, *Bellarminum*, *Valentiam*, aut *Granatenſem*, *Oſorium*, *Stapletonum* & ſimiles expilauerint.

[b] *Philo Iudæus de Legat. ad exã. adcarum.*

[c] *Wittak. præfa. Diſput de Ver. Dei. Et præfat. 2 ad Lect. Duplic. aduer. Stapleton.*

[d] *Franc Iunius Præf. Notar. ad Bellarm.*

His illi auditis, maiori adhuc ira excandeſcentes, in conuitia prorumpebant, IESVITAS (ita communiter omnes fermè hodiè Catholicos indigitant) manifeſtos Sophiſtas

ſtas & quadruplatores eſſe, *Papatum* meras tenebras, ipſumq; *Antichriſti* regnum, quod à *Luthero*, *Caluino*, & alijs ad oculum demonſtratum ſit. Ego ſubridens, parcius in quam, parcius; nolite præcipitare calculos, [e] *res ardua*, [f] *& adhuc ſub iudice lis eſt*. Scio vobis pleraq; dogmata & ſententias *Ieſuitarum* ne à limine quidem notas eſſe. Quid ergo de ignotis tanquam *cæci de coloribus* iudicatis? Statis doctorum veſtrorum iudicijs. At iſti plures & maiores cauſæ ſuæ teſtes habent: habent ſcripturas, habent concilia, habent vniuerſum S S. Patrum chorum: habent conſentientes in pleriſque [g] *Græcos*, *Ruſſos*, *Moſcouitas*, *Aethiopes*: in ſumma totum fermè orbem Chriſtianum habent. Quod ſi ergo ſtandum eſt teſtimonijs, [h] *Orbis maior eſt vrbe*, Germania maior Palatinatu, Europa maior Germania, Eccleſia denique Romana maior vtraque. Nec puto illud [i] *Donatiſticum* vos repetituros, *De cætero mundo periiſſe Eccleſiam*, & in ſola *Germania* aut *Gallia*, aut *Anglia*, in parte *Lutheri* vel *Caluini* remanſiſſe. *Qui enim ita Euangelizat*, Auguſtino & mihi *anathema eſt*. Alia latitudo patribus promiſſa fuit. [k] *In ſemine tuo* inquit Dominus, *benedicentur omnes gentes terræ*, &c. Neq; video quomodo Eccleſiam poſſitis profiteri CATHOLICAM, ſi tam anguſtis circumſcripta

e *Terent. Phorm.*
f *Horat. in arte Poët.*
g *Quod patet ex ſingulorum confeſſionibus publicè editis.*
h *Hieron. Epiſt 85. ad Euagr. Epiſcop. 93. Diſtinct. c. Legimus.*
i *Auguſt. contra Epi. Parmen. li. 1. cap. 2. Et de Vnit. Eccl. cap. 12.*
k *Gen. 12. 3. & 18. 18. & 22. 18. Pſal. 71. 17.*

l Psal 71. 8. m Isai. 54. 2.

sit limitibus, vt non pertingat [l] *à mari ad mare*, & [m] *funiculus eius ad fines vsque terræ.* Tum illi seueriſſimo vultu intuentes me, At tu inquiunt manifestè *Papiſta* es, qui ipſorum cauſam tam genuinè agis? Quid enim illi aliud, quàm *Patres Patres, Eccleſiam Eccleſiam* crepant. Si tu ita affectus es, nos magiſtratui ſignificabimus, qui te in ordinem cogat, tuamque curioſitatem compeſcat. Facite inquam quod lubet, nihil mihi hoc nomine metuo: conſcientiæ bonitas, & cauſæ æquitas conſolantur me, nec quicquam commerui, quàm quod ſcripſi Ieſuitis, & in pleriſque ipſorum ſententias à Prædicantibus malitiosè vel imperitè peruerti agnoſco. Si mihi hoc nomine malum accerſetis, patiar ſanè, ſed vos quàm rectè videritis. [n] *Deum inter me & vos iudicem conſtituo.* Sic amicitia diſſoluta diſceſſum eſt.

n Gen. 16. 5.

Hæc verò cur ad te, PATER REVERENDE, tam longa cõmemoratione? Primum volui excuſare diuturnum ſilentium meum, vt qua ex cauſa proficiſceretur, cognoſceres. Deinde putaui luctum meum in amici ſinum deponendum, vt qua in parte poſſet, me conſilio aut opera iuuaret. Qua de re quia nec tempus nec periculum plura ſinit ſcribere, cœtera in aduentum meum differo. Interea tu vale, meque quod facis, ſincerè

cerè amare perge. Heidelb. 17. Cal. Auguſt. M. DC.

## EPISTOLA IV.

### *IVSTVS BARONIVS VETERA-CASTRENSIS GREGORIO RE-nato S.P.D.*

ACCEPI litteras tuas, GREGORI, quibus retexens partem nuperæ συζητήσεως noſtræ, quæſtiunculam proponis de loco Euangelico: [a] *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*: à FRVCTIBVS *eorum cognoſcetis eos*. Hic enim quia inter teſſeras Pſeudoprophetarum FRVCTVS vel maximè commemorantur: & verò FRVCTVS operum duabus radicibus enaſcuntur: alij doctrinæ ipſius ſanæ aut corruptæ: alij liberæ hominum voluntatis, etiam præter doctrinæ genium ſeſe efferentis & luxuriantis: dubitare te ais, vtrum hi vel illi intelligẽdi veniant: et ſi iſti præ his, vtrum in veteri magis quàm noua Eccleſia reperiantur. De vtroq; breuiter vt potero ſatisfaciam.

*De Sanctitate morũ Eccleſiæ Catholicæ.*

[a] *Matth 7. 15. 16.*

Ac de priori pridem ſunt, qui longiſſimè à ſcopo aberrantes, FRVCTVS ipſam doctrinam interpretantur, quaſi Dominus eos doctores definiat veros, qui veram, falſos

*Fructus nõ eſt ipſa doctrina.*

sos qui falsam doctrinã profiteantur. Quod sanè parum præsenti loco commodum est, cum nil nisi inanem circulum, & vt logici loquũtur ἄιτημα τὸ ἐξ ἀρχῆς efficiat. Etenim ipsa Prophetarum doctrina hic in quęstionem venit, & certo signo dignoscenda proponitur. Nihil autem sui ipsius index esse potest, sed alio & quidem manifestiori signo indiget: qualis puritas doctrinæ non est, sed fructus pœnitentiæ, & constans conspicuaque virtutum omnium cultura, quæ in sensus hominum incurrit. Deinde *fructus* per quos falsa doctrina à vera, ac falsi doctores à veris distingui debent, [b] similes sunt *ficubus* ac *vuis*. At doctrina non habet rationem *ficuum* vel *vuarum*, sed stipitis potius ac radicis, vnde fructus enascuntur, cum doctrina efficax sit per opera, non vicissim opera per doctrinam. Quomodo ergo fructus de doctrina interpretandi erunt?

[b] *Matth. 7. ¶. 16.*

*Fructus sunt opera externa.*

Postremò Dominus ipse hos *fructus* de externis & visibilibus operibus interpretatur, cum subdit: [c] *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui* FACIT *voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Et paulò post [d] *Discedite à me omnes qui* OPERAMINI *iniquitatem.* Atque iterum infra. [e] *Omnis qui audit verba mea hæc, &* FACIT

[c] *Matth. 7. 21.*

[d] *Ibid. ¶. 23.*

[e] *Ibi. ¶. 24.*

CIT *ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram*, &c. Omnium verò apertissimè in[f] præcedentibus, vbi sic argumentatur. Quemadmodum se habent fructus ad arborem, sic opera se habent ad doctorem vel doctrinam. Atqui fructus mali, malam & acerbam arborem, fructus boni bonam & dulcem arborem arguunt. Quapropter etiam bona opera bonum doctorem & doctrinam, mala opera falsum doctorem & impuram doctrinam arguunt, &c. [f] *Ibid. & 17. 18.*

*Occupatio.*

*Opera non quæuis sed doctrinæ affinia intelligenda.*

At inquis, opera illa externa communia sunt vtrisque, & veris & falsis prophetis: Itaque & hoc ipso loco [g] *vestimentis ouium* comparantur, quibus se lupi tegant: & Dominus alibi nolens doctrinam discerni ex opere, cum sæpè mali bona doceant: [h] *Quæcunq; dixerint vobis*, inquit, *Pharisæi & Scribæ, seruate & facite, secundum opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Recte inquam. Ergò iam alterum quoque videamus, cuius radicis opera hic intelligenda sint. Aliqua enim voluntatum ipsarum corruptione fiunt, cõtra ipsius doctrinæ genium sese efferentium, & conscientiam manifesta vi contaminantium. Aliqua ipsius doctrinæ mol-

[g] *Matth. 7. 15.*

[h] *Matth. 23. 3.*

litie ita concipiuntur, fouentur, & aluntur, vt secundum [i] Propheticum illud *pulvilli quasi consuantur sub omni cubito manus, & ceruicalia substernantur sub capite vniuersæ ætatis, ad capiendas animas.* De illis vt certum est, hic Dominum non loqui: ita de his sermonem esse, manifesta ratio euincit. Nam quæ doctrina ita afficit homines, vt calore pietatis indies magis magisque exardescāt, & negata impietate totos se sanctimoniæ mancipent, ea procul dubio sancta, pia & diuina est. Quæ verò homines ad languorem trahit, inq; salute curanda facit remissiores, i nprobæ protinus notæ conuincitur, quemadmodum Dominus ipse arguit: [k] *Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.*

[i] Ezech. 13. 18.

[k] Matth. 7. 16.

*Catholica doctrina bonorum operum facunda.*

Quod si iam secundo loco vetus doctrina ad nouam hac lance appendatur, facili indicio se vtriusque genius prodet. Enimuerò Catholici cum fide pœnitentiam vrgent, cordis amaritudinem præcipiunt, ieiunia, preces, eleemosynas, omniaque corpori, dura ac laboriosa iniungunt. Quo fit vt (teste [l] Augustino) *tam multi hospitales, tam multi officiosi, multi misericordes, multi docti, multi casti, multi sancti, multi vsq; adeò*

[l] *August. de moribus Ecclesiæ Catholicæ. l. ca. 30. & 31*

Dei

*Dei amore flagrantes in Ecclesia reperiantur, vt eos in summa continentia atq; mundi huius incredibili contemptu solitudo delectet. Nam (quod non minus hodiè quàm olim verum est) quis nescit summæ continentiæ hominum, Christianorum multitudinem per totum orbem indies magis magisq; diffundi: quis nescit eos, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi sanctorum intellectu percipi non potest.* Eremita.

*Quis inquam nescit hos. Videntur enim nonnullis res humanas plusquam oporteret, deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis eorũ animus in orationibus prosit, & vita ad exẽplum, quorum corpora videre non sinimur. Tantum isti admonendi sunt, qui sese inaniter iactant, in tantum processisse temperãtiam & continentiam sanctissimorum Catholicæ fidei Christianorum, vt restringenda nonnullis, & quasi ad humanos fines reuocanda videatur. Vsq; adeò supra homines illorum animos euasisse, ab his etiam, quibus id displicet, iudicatur.* Cœnobita.

*Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis atq; desertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamq; con-*

gregati, simul etatẽ agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus: nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi: sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam & intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse merue unt. Hæc est etiam vita fœminarum Deo solicitè casteq3 seruientium, quæ habitaculis segregatæ ac remotæ à viris quam longissimè decet, pia tantum illis charitate iunguntur, & imitatione virtutis: ad quas iuuenum nullus accessus est, neq3 ipsorum quamuis grauissimorum & probatissimorum senum, nisi vsq3 ad vestibulum necessaria prebendi, quibus indigent, gratia. Lanificio namq3 corpus exercent atq3 sustentant, vestesq3 ipsas fratribus tradunt, ab ijs inuicem quod victui opus est resumentes. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum, si laudare velim, neq3 dignè valeo, & vereor ne iudicare videar per scipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putauero.

Moniales.

Antithesis doctrinæ hæreticæ, quæ frænat lasciuat cupiditatibus.

At Protestantes Euangelici (quo nomine gaudere volunt) de operibus pœnitentiæ tam contemptim sentiunt, vt illa etiam quondam *ad salutem perniciosa* non censuerint solum, sed & scripserint. Quo titulo & argumento integer *Georgij Maioris* liber

ber extat. Et [m] *Lutherus* eò vesaniæ progressus est, vt quoduis *bonum opus quantumuis factum benè, peccatum* statuerit *mortale*. Quamobrem & in omnibus suis operibus, maximè *Tomo 6. Witteb. fol. 256.* animos hominum tantoperè à bonis operibus ad libertatem, vel licentiam potius auocat. Qua ex re tanta passim profanitas consecuta, vt *Lutherus* ipse alicubi scribat, [n] *Mundū indies ex sua doctrina peiorem fieri. Homines* inquit, *vno antea, nunc septem Diabolis obsidentur. Diabolus nunc plena cohorte homines inuadit, vt sub clara Euangelij luce multo sint, quàm antea sub Papatu, auariores, astutiores, fraudulentiores, crudeliores, libidinosiores, procaciores ac peiores.* Alij etsi opera quidem laudant, fideique quo ad præsentiam adiungunt, quo ad effectum tamen gratiæ & remunerationis tollunt, & grauissimis etiam sceleribus vnicæ fiduciæ præsidio impunitatem spondent. Qua ex re quid aliud sequi potest, quàm acerbi & insipidi fructus impietatis? quemadmodum præclarissimè quondam *Sadoletus Cardinalis* [o] Exhortatione ad principes populosque Germaniæ scripsit. *Hac voce (sola in Deum fide homines effici iustos, ad iustitiam in nobis conficiendam bona opera nil referre) per populos promulgata, authoribusq; auditis: quis non intelligat, maximos motus animorum, id quod factum*

[m] *Tom 7 Witt fol 130 131.*

[n] *Postil. Domest. Ienens. an 53. Conc. 2. Dominic. 1. Adu.*

[o] *pagin. 69.*

*factum est, necessariò fuisse concitandos? Cùm enim credere in Deum facile sit: difficile autem cupiditates suas temperare: nemo paulo mobilior atq; imperitior esse potuit, qui non exiguo illo credendi negotio, liberam suis cupiditatibus inseruiendi facultatem redimere sibi vellet.* Qua propter etsi interdum videas nonnullos de pietate grauiter differentes, tamen similes putato Græcis illis, quos [p] Anacharsis *numismate tantum ad numerandum vti* dicebat: vel similes Philosophis, quos [q] Diogenes *pro bona valetudine sacrificantes in ipso sacro epulis ingurgitari querebatur.*

[p] *Plutar. in lib. de perfect. morũ.*

[q] *Laër. li. 1. de vitis Philosop.*

At inquis, [r] *fieri non potest, vt qui Christo per fidem insiti sunt, fructus non proferant gratitudinis*, fideſque adeò ab operibus indiuulsa manet. Hoc quàm verum sit, docet illa vox Apostoli. [s] *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.* Et illa altera S. Iacobi. [t] *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides saluare eum?* Tandem Augustinus de Trini. c. 18. *Fides* inquit, *sine charitate potest quidem esse, sed non & prodesse.* Et Tract. 10. in Epistolam Ioannis. *Iam credit aliquis in Christo, sed odit Christum, habet confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ: adde huic fidei dilectionem, vt fiat fides,*

[r] *Catech. Heidelb. quæst. 64.*

[s] *1. Corinth. 13. 2.*

[t] *Iacob. 2. 14.*

des, qualem dicit Apostolus Paulus, [u] *fides quæ per dilectionem operatur.* Deinde si necessariò fidem sequuntur opera (addit idem [x] Sadoletus) *quid attinuit ab ea iustitia, quæ per fidem imprimitur, opera bona seiungere? Cùm ea ita complexa & cognata ipsa cum fide sint, vt simul cum ea adsint, & simul cum ea iustificent, tanquam ad rationem fidei substantiamq; pertinentia. Quod enim stare per se sine altero non potest, habet illud certè quo sine non potest esse, ad naturam suam penitus adiunctum.* Nec tamen diffiteor, debere quidem, atq; in multis etiam fidem opera subsequi. Nam si Euangelium potens est ad salutem, potens quoque esse debet ad pietatem, sine qua salus nulli obtingere potest. Ideò Apostolus talem in Christiano *fidem* desiderat, [y] *quæ per caritatem operetur.* Et alibi negat eos Christum rectè didicisse, [z] *qui in vanitate sensus sui ambulantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.* Vnde D. Cyprianus. [a] *Qui habet fidei veritatem* (inquit) *seruat Dei timorem: qui autem Dei timorem seruat, etiam caritatem & misericordiam erga pauperes seruabit.* Et [b] Eusebius Christianum definit, *qui per Christi cognitionem & doctrinam animi moderatione & iustitia, continentiaq; vitæ ac pietatis confessione excellit.* Atque hoc per Dei gratiam ita clarè &

u Gal 5. 6.

x Vbi supra pag. 75.

y Gal. 5 6.

z Eph. 4. 18 19.

a De opere & Eleemosyna.

b Lib. 1 hist. Eccl cap. 5.

rè & abundanter in Catholica fit Eccleſia; vt meritò concludam cum Auguſtino.[c] *Iſtis Manichæi* (Euangelici) *ſi poteſtis obſiſtite, iſtos intuemini, iſtos ſine mendacio ſi audetis, cũ contumelia nominate, iſtorũ ieiunijs veſtra ieiunia, caſtitati caſtitatem, veſtitũ veſtitui, epulas epulis, modeſtiam modeſtiæ, caritatem denique caritati, & quod res maximè poſtulat, præceptis præcepta conferte. Iam videbitis quid inter oſtentationem & ſeueritatem, inter vitam rectam & errorem, inter fidem atque fallaciam, inter robur & tumorem, inter beatitudinem & miſeriam, inter vnitatem & conſciſionem, poſtremò quid inter ſuperſtitionis ſirenas & portum religionis interſit.* Vale mi ſuauiſſime Gregori, ac breui reſponſo contentus, veritati locum, mihi veniam concede. Heidelb. Calend. Auguſt M. DC.

[c] *Lib. 1. de moribus Eccleſ. cap. 34.*

---

## EPISTOLA V.

### *ANDREAS VERMADIVS SOCIETATIS IESV PRESBYTER Iuſto Baronio Veteracaſtrenſi S.P.D.*

INFORTVNIO litterarum meatum in fidei certamen te deueniſſe, optatiſſime IVSTE, intellexi pariter & dolui. Sed credo profectò, Deum hac machæra funem tuæ mo-

ræam-

ræ amputare voluisse, teque pariter ac [a] LOTHVM *cunctantem ac disputantem* violenta manu *è Sodomis* eripere, ne scrupulosa disceptatione torqueres diu spiritum Dei intra te, locareque operam [b] *Nicodemo*, quã [c] profitentibus discipulis locare debueras. Ecce autem qua te via angelus Domini in [d] SEGOR deducturus sit. Misimus nos omnẽ causam tuã in vrbem: vbi lecta *Pontifici*, lecta *Baronio*, singulare singulis gaudium excitauit. *Baronius* maximè salutis tuæ cupidus suadet, primo tempore Pontifici mentem tuam exponas, eiusq; potius ductu & hortatu emigrationis consiliũ moderere, quam priuato arbitrio, quo & in necessitatibus postea liberius ad eius præsidium cõfugere, & commendationibus ipsius munitus honestiorem vspiam locum inuenire possis. Scriberem hac de re plura, quæ iussu *Ill^mi Baronij Iosephus Windenius* ad nos perscripsit, nisi ex nupero casu timidiorem calamum haberem. Fac igitur cura litteraria ad biduum aut triduum sepositа, ad nos ipse excurras, aut si te negotiorum compedes tenent, litteras sine mora in vrbem expedias, quas nos Pontifici, & quibuscunq; volueris *Cardinalibus* fido *Mercurio* transmittemus. Vale, Spiræ Prid. Non. Decemb. M. DC.

[a] Gen. 19. 15
[b] Ioan 3. 2.
[c] Act. 4. 23.
[d] Gen. 19. 28.

EPI-

## EPISTOLA VI.

### *IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS ANDREAE VERmadio Societatis Iesu Theologo S.P.D.*

LITTERAS tuas, mi PATER, meliori iam fato scriptas traditasque, heri sub vesperam accepi ac perlegi. Quarum conspectus etsi multo mihi fuit iucundissimus, tuamque incredibilem erga me solicitudinem ac curam nouo, eoque eximio argumento demonstrauit: tamen vt verum fatear, recordatione humilitatis meæ, ac reuerentia tantorum nominum, quibus causam meam innotuisse scribis, tantoperè commotus sum, vt dubitem maiorine pudore an lætitia sim affectus. Sed quia prouidentissimo Deo ita placuit, consciis iuuantibusque ipsis summis Ecclesiæ præsulibus me in salutis portum deducere, sanè amplector consilium tuum, istorumq; plus quam paternum erga me affectum sempiternis gratijs prosequor. Scribendi officium vereor vt satis decorè explere possim. Nosti enim veterem à *D. Hieronymo* ladatam sententiam, *non esse tristem eloquentiam, maximè si ad ægritudinem animi accedat corporis ægritudo*: à qua nescio quâm longè nunc absim.

* *Epist. 31. ad Theoph. Episc. Alexand.*

sim: Periclitabor tamen vires, & quia venire ad vos propter vrgentissimos ἐργοδιώκτας nostros non licet, paucorum dierum spatio litteras cupitas transmittam. Interea tu cum Collegio feliciter. Vale, successumque causæ Deo precibus commenda. Heidelb. Non. Decemb. M. DC.

---

## EPISTOLA VIII.

### *BEATISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO CLEMENTI VIII. Pont. Max.*

### IVSTVS BARONIVS VETERacastrensis S.P.D.

O quàm multi sunt, BEATMC PATER, [a] *Sãctæ Apostolicæ Romanæ, atq; vniuersalis Christi Ecclesiæ Venerande Papa*: quàm multi inquam sunt, qui hunc conatum meum extremæ impietatis ac perfidiæ condemnabunt! quàm multi, qui hæreseos & apostasias manifestæ! Postquam enim ego Dei sic ferente imperscrutabili voluntate isthic terrarum natus atque educatus sum, quin & multos annos vixi, & munera officiaq; gessi, vbi ([b] *D. Hieronymi* verbis vtar) *spfligato à sobole mala patrimonio obruta sulcis frumenta in loliũ auenasq; degenerarunt: vbi Lucifer ille qui occiderat, supra sidera posuit*

[a] *S. Athanas. Epist. ad Marcel. Pap.*

[b] *Epist. 57. ad Damas. Pap.*

*thronum suum: vbi testacea vel lignea vasa virgam ferream, & æternum operiuntur incendium*: id est, me interprete, vbi hæretico grassante furore, pulsa veteris fidei soliditate, doctrina noua, atque à consensu totius orbis omnisque antiquitatis aliena, sub specioso Euangelij nomine, cum multarum animarum sempiterna pernicie in vulgus spargitur ac disseminatur, nunc verò collustratis diuinitus oculis meis, perspectisque fœdissimis sectariorum erroribus ac delirijs, ad Catholicæ Ecclesiæ gremium, iuuante Domino, *Tuaq; sanctitate* approbante, transire toto pectore satago: mirum quot probra, quot conuicia, quã acerbas insectationes ac virulentas proscriptiones in me vndiq; iaculaturi sunt ij, quos sacrilega obstinatio, ac furor prauus extra salutares hosce Ecclesiæ carceres detinet.

Non minus enim quàm Lymphatis olim *Circumcellionibus*, huic infelici hominum generi persuasũ est,[c] *de toto mundo visibilem peryisse Ecclesiam, atq; in sola* Lutheri aut Caluini *parte remansisse*. Quamobrem Romanam Ecclesiam non secus ac turpissimum Lupanar atque ipsissimam *Babylonicam* meretricem, quibus possunt acerbissimis verbis ac crudelissimis supplicijs persequuntur.

[c] *August. lib. de Vnitate Eccles. c. 12. & 13.*

Ast ego qui Christi militiæ me verè nũc adscri-

adscriptum profiteor, cœlesti fortitudine armatus, fideiq; constantia roboratus, nulla tela inimicorum pertimescere, multo minus leuissima ista hominum nec de sua nec de aliena salute rectè sentientium, iudicia reformidare debeo. Quin consolari ac sustentare me debet diuina huic sedi in *S. Petro* Pontificum Romanorum ἄλφα tributa vis atque authoritas, dicente Christo, [d] *Tu es Petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Quæ verba considerans [e] S. Basilius, *Petrus* inquit, *propter fidei excellentiam Ecclesiæ ædificium in seipsum suscepit.* Et [f] S. Chrysostomus, *Quid autem Petrus* inquit, *basis Ecclesiæ; ille vehemẽs amator Christi, ille sermone indoctus, & Rhetorum victor, ille imperitus, qui tamen Philosophis obturauit os, ille qui Græcanicam sapientiam non aliter, quàm aranearum telam dissoluit, ille qui sagenam misit in mare, & piscatus est orbem?* Denique [g] S. Optatus: *Cathedra*, inquit, *vna est, & negare non audes, scire te Petro primam in vrbe Roma Cathedram esse collatam, vbi sederit omnium* Apostolorum caput Petrus, *inde Cephas appellatus, in quo vno Cathedrâ vnitas ab omnibus*

d Matth. 16 18 Vide Bellarm. lib. 1. de Rom. Pontif. cap. 10.

e Lib. 2 in Eunom.

f Hom 4. in ca. 6. Esaiæ.

g Lib 2. contr. Parmen.

*mnibus seruaretur, nec cæteri Apostoli singulas sibi quisq; defenderent, vt iam Schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vna est, quæ est prima de dotibus. In ea sedit primus Petrus, succedit Linus, Lino Clemens, &c.*

Deinde consolari ac sustentare me debet omnium vniuersi orbis Christianorum, omnibus seculis in hac vna sede tanquam certissimo capite ac matrice Ecclesiarum omnium firmiter recumbens spes atque existimatio. Quorum nemo vnquam vel priuatim vel publicè tam vecors extitit, quin cum hac sede tanquam noua *Hierosolyma* fixam stabilemque sibi vnitatem colendam, eiusque authoritate tanquam indubitato Dei oracvlo omnes fidei controuersias decidendas putarit. Adeò quidem, vt hæreticorum etiam fæx, [h] *Marcion* & *Valentinus*, item [i] *Campenses* cum *Tharsensibus* nihil aliud ambierint, quàm vt authoritate cõmunionis Romanæ suas mundo fabulas venditare possent. Quod cum per *Damasum* Romanum Pontif. non possent, [k] *è latebris extracti ac foras pulsi, breui mortui sunt.* Quamobrem *D. Hieronymus* (vt solennia Conciliorum decreta prætermittam, quæ [l] *Quartodecimanos Victoris; Nouatianos & Anabaptistas Cornely: Arianos*

*h Baron. Tom 2. An. 167. § 6.*

*i Hieron. Epist 57 ad Damas.*

*k Hieron. Epist. 94. ad August.*

*l Bellarm. libr. 2. De Verb. Dei cap. 6.*

nos Syluestri: Macedonianos Damasi, Nestorianos Celestini: Eutychianos Leonis: Pelagianos Innocentij & Zozimi, &c. Pontificum Romanorum voce tanquam cœlesti fulgure perculerunt) exorto in oriente hæreseon nouarum semine, non aliam quàm Cathedram Petri Apostolico ore laudatam sibi consulendam censuit.[m] *Quoniam* inquit, „ *vetusto oriens inter se populorum furore collisus,*[n] *indiscissam Domini tunicam, & desuper textam, minutatim per frusta discerpit, &* Christi[o] *vineam exterminant vulpes, vt inter*[p] *lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, vbi*[q] *fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: Ideò mihi Cathedram Petri, & fidem*[r] *Apostolico ore laudatam, censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Neq; verò tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum me à*[s] *pretiosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere.*[t] *Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur &*[u] *aquilæ.* Et paulò post. *Quanquam tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A sacerdote victimam salutis, à pastore, præsidium ouis flagito. Facessat inuidia: Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor: Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri cõmunione cõsocior:*

m Hieron. Epist. 57. ad Damas. Pa.
n Ioann. 19. 23.
o Cant. 2. 15
p Ierem. 2. 13.
q Cant. 4. 12.
r Rom. 1. 8.
s Matth. 13. 46.
t Luc. 13. 37

*socior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunq; extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum, quicunq; tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* O Sanctam Sancti viri vocem, ducem atque auspicem non huius modo meæ, sed & proximæ[u] *Ruthenicæ* atque[x] *Alexandrinæ* solenniter in vrbe multorum populorum plausu & iubilo factæ Palinodias. Cuius si dicam exemplum quantas meo pectori faces subiecerit, quàm acribus stimulis animum perpunxerit, integram hanc paginam compleuero. Nec leue est,[y] *conspirantem Christianorum multitudinem curare:* haud leue, mundo comite ad illius Ecclesiæ gremium currere,[z] *quæ ab Apostolis fundata, & à Sanctis culta, in hanc vsq; diem frustra hæreticis circumlatrantibus per successiones Episcoporum culmen auctoritatis obtinuit.*

u Baron. in fine To. 7. Ann.

x Idem in fine Tom. 6. Ann.

y Aug. Epi. 162.

z August. De Util. credend. c. 17.

Sed fratres mei, quos desero, PATER SANCTme audientes talia, rident & stomachantur, meque conuitijs omnibus incessunt. Insanis, inquiunt, neque adis Ecclesiam Dei, sed deseris. Quid ita inquam? persuasum hoc vobis est, sed malè. Tenebar & ego quondam eodem errore, *Romanam* Ecclesiam maledictis lacerans, communionem-

nemque Dei in sola *Caluini* parte remansisse credens. Sed quis hoc euicerat? Calumniæ graues, & atrocia in domum Dei conuitia mentem meam peruerso iudicio imbuerant. Itaque sequens illos, qui à corpore Christi præcisi properabant ad exitium, [a] *Væ væ quibus gradibus descendebam & ipse in profunda inferi.* Abalienabar à promissis Dei, & tetra morte inuolutus pulchrè me viuere existimabã. [b] *Sed* tu DEVS *longanimis & misericors oblitum tui, oblitus non es: tu securus mei curam gessisti, ac miseratus simplicitatem meam* (neque enim destinata malitia peccabam) [c] *præueniisti me antequam inuocarem te, & instituisti crebrescens multimodis vocibus, perrumpens surditatem, & intonans voce forti in interiorem aurem meam,* vt cognoscerem eminentem scientiam charitatis CHRISTI, & firmitudinem Ecclesiæ tuæ, quæ supra Petram fundata, vndiq; circumfrementibus procellis inconcussa staret. Tu demonstrasti mihi seruorum tuorum ministerio, quàm graui crimine alligati fuerent, qui rupta vnitate fidei, [d] *vltro se apud temerarios conuenas, sine diuina dispositione præficerent, qui se præpositos sine vlla ordinationis lege constituerent:* [e] *qui contemptis Episcopis, & DEI sacerdotibus derelictis, constituere auderent aliud altare, precem alienam illicitis vocibus facere, Dominicæ hostiæ veritatem*

a Augustin. lib. 3. confess. cap. 6.

b Augustin. li confess. ca. 2.

c Augustin. li confess. c. 1. & 29.

d Cypr. de vnitate Eccles. cap. 8.

e Cypr. de vnitat. Eccl. cap. 11.

*tem per falsa sacrificia profanare.* Hoc demonstrasti mihi DEVS meus, & gratias ago.

e *August. 11 confess. c. 7.* e *Noui, confiteor tibi Domine, mecumq; nouit & benedicit te, quisquis ingratus non est certæ veritati.*

At vos fratres meos plusquam prodigos salutis vestræ obtestor, deposito paulum typho deliberationem Christiani hominis mecum suscipiatis, quamq; longè à DEO peregrinemini, vel limis saltem oculis aspiciatis. Subducite mecum, an vel vnum verę Ecclesiæ signum apud vos demonstrare possitis. Certè *vnitate* destituimini, à consensu orbis Christiani præcisi, & in minutissimas sectas miserè dilsecti. *Sanctitate* quanta præstetis, publicè notum est, volq; ipsos profanitatis vestræ palam pudet ac lædet. *Catholicos* nominare vos nec vultis nec potestis, tam angustis obscuræ alicuius regiunculæ limitibus circumscripti. Iam si *Apostolicos* vos nominare libet,

f *Tertull. de præscript. c. 32.* f *Edite origines Ecclesiarum vestrarum, euoluite ordinem Episcoporum vestrorum,*

g *August. Epist. 165.* g *& in ordine illo Patrum,* exorsi à S. Petro ad præsentem vsque CLEMENTEM VIII. *quis cui successerit, videte. Certè in eo ordine successionis nullus Donatista Episcopus inuenitur,* nullus Lutheranus, nullus Caluinista. Quid ergo iam amplius aduersum patres vestros sæuitis? Quid studio partium excæcamini?

h *August. in Psal. contra partem Donati.* h *Venite*

mecum

mecum *ad Romanam Ecclesiam, vt inseramini in vite: dolor est cum vos videmus praecisos ita iacere. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.* Idque vt mecum intelligatis, deponite ad tempus persuasionem sapientiae vestrae:[1] *Audite doctos Catholicae Ecclesiae viros, tanta pace animi, & eo voto, quo vos ego audiui, nihil opus erit XX. annis, quibus me ludificastis. Longè omninò, longè breuiore tempore quid interfit inter veritatem vanitatemq; cernetis.*

[1] *Augustin. lib. 1. de moribus Catholic. Eccles. cap. 18.*

Atque haec fortasse paulò prolixius SANC^me. PATER, commiseratione fratrum meorum: quibus consultò exponere volui, quibus ego remedijs ad sanitatem adductus essem, vt quae mihi medicina profuisset, eadem ipsi vtentes conualescerent. Audiui enim ego, pro *Augustini* consilio, doctos Catholicae Ecclesiae viros, Sanctorum Patrum monumenta sedulo euolui, recentiorum Theologorum scripta, inprimisque diuini viri ROBERTI BELLARMINI (cui post Deum praecipuas conuersionis meae partes asscribo) enucleatissimas *Disputationes* studiosè legi: Ecclesiae *Graecae* consensum ex *Patriarchae Constantinopolitani* in *Augustanam Confessionem* Censura solicitè rimatus sum: coram etiam cum multis sacerdotibus sermones contuli: nihilq; adeò praetermisi, quod ad cognoscendas Catholicorum sen-

tentias facere videretur. Neque id iniuriâ. Oportet enim, vt[k] Cyprianus ait, *non tantum quid maligni atq; Apostatæ dicant, audire, verum etiam quid modesti & graues viri sentiant faciantnè, de vitæ ipsorum ac disciplinæ exploratione perpendere.* Hanc solicitudinẽ meam si imitarenturisti, qui se magistros profitentes orbis terrarum, sua *plerophoria* miserè decipiuntur, fortasse etiam pœnitẽtiam imitarentur, & mecum resilirent ab ijs, qui sine vocatione ingressi, sine ratione mentiti, sine mente grassati, supera inferis miscuerunt, & neque vitæ innocentia fratribus similes, nec fidei vnitate patribus concordes esse voluerunt.

[k] *Epist. 52. ad Anton.*

Sed vt eò iam, cuius gratia tota hæc scriptio instituta est, progrediar: vides BEATE PATER, quis sit sensus meus & animus. Redeo ex fuga & dispersione longa: cupio reconciliari ijs, qui veræ Ecclesiæ possessores ac vitæ æternæ hæredes rectissimè creduntur: Tanquam[l] *ouis* perdita sto ad ostium[m] *ouilis* Christi, & [n] pulsans humiliter intromitti cupio. Hic cum nulli claues aut spatiosi ouilis cura commissa sit, præterquam *Tuæ Beatitudini* soli: prouolutus ad pedes Sanctissimos tuos, cum multo gemitu & planctu per Christum rogo & obsecro, ne æstuantem hanc animam spernas, aut à grege tuo reijcias: quin potius apertis clemen-

[l] *Luc. 15. 4*
[m] *Ioan. 10. 16.*
[n] *Alluſum ad verba D. Antonij, pulſantis fores D. Pauli Eremitæ apud Hieron. in Vita S. Pauli.*

ter

ter foribus, ad Ecclesiæ sacrosanctæ communionem, & saluberrima Sacramentorum pabula admittas: postmodum, quod reliquum est, exulem breui propter Christum relictis omnibus futurum, Apostolica benedictione tua compleas, & sustentes. Quod à BEAT^ma SANCTITATE T^a. petere & sperare, non iussit impudens aliqua aut proterua audacia: sed iussus & authoritas eorum, qui suo merito SANCTITATI T^æ. à latere iuncti, omniumque consiliorum cõscij, hanc mihi promptissimam voluntatem tuam in media *Germania* non obscurè confirmarunt. Idque vbi eorum votis, & tua plusquam diuina ad *Germanos* iuuandos promptitudine impetrare licebit, mea in Deum pietas, & in Apostolicam hanc sedem humilitas atque obedientia: in tuenda verò Catholica vnitate firmitas & constãtia, ita semper constabit, vt nunq̃ vel nomine Catholico, vel Pontificis Maximi beneficiis planè indignus fuisse videar. Nec dum viuam, Sacrosanctam Dei Maiestatem ardentibus votis precari desinam T^m. vt *Sanctitatem* vniuersæ Ecclesiæ Christianæ quàm diutissimè incolumem seruare, Tuumque istum Pontificatum quàm plurimorũ *Germanorum* conuersione magis magisq; insignem facere dignetur. Vale. Heidelb. Idib. Decemb. Anno seculari. M. DC.

EPI-

## EPISTOLA VIII.

### ILL^mo. ET REV^mo. D. CÆSARI Baronio Sorano, S.R.E. Cardinali.

*IVSTVS BARONIVS VETERacaſtrenſis. S.*

INTER Romanæ Eccleſiæ præſules, interque veræ ac ſolidæ iuſtitiæ prȩcones, qui aduentanti nunc *Antichriſto* diuina ingenij ſui acie neruos incidunt, profugiſq; ab Eccleſia tuba ſonanti receptui canunt, te facilè principem eſſe, CÆSAR BARONI, CARDINALIS ILL^me, & fama dictitat, & præclariſſima ANNALIVM tuorum monumenta conteſtantur. Quocirca aliquoties me has ſcribere ingreſſum, deterruit partim grauiſſimorum negotiorum tuorum recordatio: partim iuſta debitaque Illuſtriſſimi nominis tui reuerentia. Sed hæſitantem confirmauit iterum ſpectatiſſima ordinis veſtri humanitas, & inprimis benigniſſima mei ad ſcribẽdum à te facta inuitatio. Qui cum conſultiſſimi viri, *Ioſephi Windeny* ſermonibus, nec non *Patrum* quorundam *Spirenſium* litteris de mea ad Catholicam fidem cõuerſione certior factus eſſes, Summoque idem Pontifici retuliſſes: mirificè vterque pro veſtra pietate cum [a] beatis Dei ſpiri-

[a] Luc. 15. 10.

spiritibus huius animulæ inuentione vos ostendistis recreatos. Atque ego si affectus istius vestri erga me magnitudinem vllis verborum præconijs satis celebrare, vel digna gratiarũ actione prosequi me posse spe rẽ, valdè oblitus sim & viriũ meatũ, & longè maximæ dignitatis vestræ Apostolicæ. Verum vt tam benignis celebribusque benefactoribus maiorum erga me meritorum occasionem præbeam, paucula de rebus meis, & diuturnis præsertim erroribus hac epistola commemorare animum induxi.

Qua in re illud primo loco constituo, nulla me voluntate tamdiu extra Christi castra profugum, aduersus sacerdotes DEI maledicum, ab officina salutis alienum fuisse, sed patriæ partim corruptione infectũ, partim peruersa præceptorum informatione inductum. Postquam enim persolutis iã quatuor *Apocalypseos* tubarũ pœnis, quinta tuba sonante, hæc misera *Germania* nostra, per illam funestam [b] *cœlo delapsam stellam* inexpiabili crimine inuoluta, & *fumo tartareo, locustisq; pestilentibus*, in tantam fidei vitæque profanitatem adducta est: Ego quoque huius *Aegypti* incola, communibus, proh dolor, tenebris inuolutus, & ab regia salutis via cum alijs abstractus sum. Ac ne multus sim, vigentibus publicè erroribus,

b *Apocal. 9. 1. 2 & seqq.*

ribus, illud mihi accidit, ꝙ *Marcus Cicero* in *Academia* de ſtultis Philoſophis commemorat. [c] *Cæteri* inquit, *primum ante tenentur aſtricti, quàm quid eſſet optimum, iudicare potuerunt: deinde infirmiſſimo tempore ætatis, aut obſecuti amico cuidam, aut vna alicuius, quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis iudicant, & ad quamcunque ſunt diſciplinam quaſi tempeſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcunt.* Viua profectò, viua deceptionis mei imago. Parentibus enim (quod miſericors Deus in melius vertat) hæreticis natus, præceptoribus hæreticis vſus, patriæ hęreticæ conſuetudine imbutus, ad fidem quoque hæreticam me pertrahi paſſus ſum. Eam inquam fidem, ſi fides dicenda eſt, quæ à conſenſu orbis Chriſtiani aliena, deliriorum CALVINI ſerua, *Donatiſticam* quandam puritatem iactitat, & Catholicum nomen deteſtata, fidam Chriſti ſponſam, *Romanam* Eccleſiam, miris verborum ludibrijs ſubſannat, & ferro furenter perſequitur.

[c] 4. Acad. quæſt.

Sed quia benignus Deus ſimplicitatem meam & interitum miſerabatur, ſubinde optima iam annis aliquot continuis ſuppeditauit remedia, quibus ad erroris & periculi ſenſum, ſanæque mentis poſſeſſionem adduci poſſem. Ac primum, quia me faſcinatum videbat, glorioſæ Euangelicæ profeſſi-

fessionis titulo; sæpiusculè in mentem reuocauit, laceram sciſſamque huius *Synagogæ* faciem, quę nullo vnitatis vinculo copulata, in multas minutissimas partes secta, capitali inter se odio dissideret, & tanquam [d] *Babylon* suis frustrata ausis, indies suppullulantibus nouis fœtibus emarcesceret, atque extingueretur. [d] Gen. 11. 8.

Deinde, vt (quod penè puer animaduerteram) fraudes & mendacia hæreticorum, in detorquendis ac sugillandis Catholicorum sententijs, manifestius aperiret, lectionem ipsorum Catholicorum authorum suasit: primumque in manus dedit Sanctorum aliquot Patrum commentaria, AVGVSTINI inprimis & CYPRIANI: qui tanquam *duo fulmina belli*, facilè prostrauerunt pleraque nouatorum mendacia, quantaque fide illi in tractanda antiquitate versarentur, demonstrarunt. Sed vt ad rem propius accederem, atque ipsam quasi arcem causæ inuaderem, ad ipsos quoque recentiores Theologos consulendum incitauit. Quos vbi inspexi, tanquam [e] Bethsaidanus ille gradatim sanat[a], primum *à longè videre mihi visus sum homines tanquam arbores incedentes.* Deinde continuata lectione & [f] repetita quasi impositione manus dominicæ plenariam sanitatem recuperaui, ac dilucidè tandem omnia peruidere cœpi. Enimuerò [e] Marc. 8. 22. 23. 24. [f] Marc. 8. 25.

uerò parentum liberorumque amor, præceptorum admiratio, &c. ægrè melioribus locum dedit. Sed quia [g] *potiorem Dei quàm hominum rationem habendam* noueram, & apertissima veritas vrgebat, coactus sum illi manus dare, nec amplius reluctari potui. [h] *Vt enim lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere necesse est.* Et quum inconstantiæ fama insidiaretur, succurrebat Cyprianus, [i] *Non inquiens, quia semel erratum est, ideò semper errandum est, cum magis sapientibus & Deum timentibus congruat, patefactæ & perspectæ veritati libenter atq; incunctanter obsequi, quam pertinaciter atq; obstinatè contra fratres & sacerdotes pro hæreticis reluctari.*

g Act. 4. 19.

h Cicero 4. Academ. quæst.

i Epist. 73. ad Iubaianum.

Sic itaque diuina ope sanatus, fide & intellectu interioris hominis, dudum rationes omnes quæsiui, euadendi hanc *lernam*, & publicè profitẽdi fidem meam. Sed quia Dominus ipse monebat, [k] ne *turrim ædificaturus*, aut *hostem cæsurus*, temerè ad opus prosilirem, sed *sumptibus prius subductis* viderem, par ne operi perficiendo esse possem, ne spe deiectus, risum ludibriumque mouerem vicinis: Ego iusta me ratione moueri credebam, vt lentè agerem, & vada prius tentarem, littoraque explorarem, quàm me periculoso cum meis mari committerem. Cumq; hoc solicitè mecum iam mul-

k Luc. 14. 28. & seqq.

tos

tos menses faceret *Religiosissimus in Christo Pater* ANDREAS VERMADIVS, Ecce θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, nobis de ouiculis aliquibus conciliandis solicitis, tua inprimis opera, CARDINALIS ILLVSTRISSIME, ipsũ Pastorem summum conciliauit, eiusq; voce humanissima quæque pollicitus est. Quam tam optatam consilij perficiendi occasionem, vt ego è manibus dimitterem, nihil erat. Quin potius te auspice ac duce humiles quasdam, & fortasse non satis pro tanta dignitate compositas literulas ad sedem Apostolicam conscripsi: certa spe fretus, fore vt explicatis Pontifici Maximo lõgorum errorum meorum deceptionibus, & periculorum, in quibus ad huc versor, angustijs, coadiuuante diuina misericordia, & ingenita Pontificis Maximi bonitate, hoc præsertim anno *Iubilæo* & veniam delictorum, & Catholicæ vnitatis vinculum, Apostolicæque liberalitatis fructum facilius essem impetraturus. Quod votum meum, vt & tu, felix consultor, voto tuo comproba-re, Summoque Pontifici cum aliquo insigni tuæ erga me beneuolentiæ indicio cõmendare velis, per Sanctam Domini Crucem, & viuifica ipsius vulnera ardentissimè precor. Ego quàm primum Apostolicæ voluntatis nutum vel minima significatione percepero, me illi absque vlla cunctati-

one morigerũ præstabo: & quidquid porrò ad Catholici nominis dignitatem, ad humillimam pro acceptis beneficijs gratitudinem, ad commissam denique quamcunque *Spartam* meã pertinebit, tantaσὺν θεῷ fide curabo, vt nulla in parte meo muneri defuisse videar. DOMINVS IESVS Sanctissimum Pontificem, teque magnum Ecclesiæ Cardinem, meo & aliorum proselytorum bono quàm diutissimè seruet incolumes. Heidelb. Idib. Decemb. M. DC.

---

## EPISTOLA IX.

### ILLmo ET REVmo D. ROBERTO Bellarmino S.R.E. Cardinali.

*IVSTVS BARONIVS VETEracastrensis. S.*

TV verò ille es ROBERTE BELLARMINE, CARDINALIS ILLVSTRISSIME, quem colit & veneratur anima mea, quem diligit & exoptat cor meum. Tu es, qui animam hanc vindicasti à morte, & plusquam *Cimmerijs tenebris* obrutam, diuinæ veritatis fulgore iuxta Deũ collustrasti. Tibi vota faciam, tuumque immortale nomen perpetuis laudibus celebrabo. Ecquid hoc est, in-

inquis? quem insperatū *Pæana* audio? quis peregrino celeusmate acclamat? Ego ego sum, diue vir, [a] *dulce decus & præsidium meum*. Ego sum, magnus debitor tuus. Si gratiam merui abs te, ades huc: percipe magnalia DEI, audi excellentissimos laborum tuorum fructus. Ecce sedebas quondam, & medicinam parabas ęgris, quos vel *tartareæ locustæ* à [b] *D. Iohanne* præsignificatæ, falsorum dogmatum aculeis læserant, vel hydrops fallæ sapientiæ inflarat, vel leuis superbiæ aura ex area Ecclesiæ ,piecerat. His medicinam *Disputationibus* tuis parabas, atque in vulgus prolatam cunctis propinabas. Sed vide ingratos homines. Alios vis morbi obstupefecerat, alios desperatio acquirendæ sanitatis abalienauerat, alios furor ad proculcandum pharmacum incitarat. Mihi quid accidit, ægrorum infirmissimo? Propinatur eadem librorum tuorum medicina. Rideo vt assuetus eram, & tamen periculi faciendi causa gusto, pleniusq; lectione imbibo. Hic, quod ægris quibusdam accidere solet, pharmacum primo commouet animum, ac resultum quærit. Postmodum aliquandiu retentum, occulta virtute interius cum morbo conflictu habito, sudorem toto corpore excitat. Q si, tum demum grauissima me totaque cura ad frequentandum

a Horat. Ode. 1. ad Mecen.

b Apoc. 9.

opus esse animaduerti. Eiq; dū constārer in cumbo, maiores indies vires colligere, maioré sanitaté recuperare cœpi ac tandé Dei munere ita corroborat⁹ mihi videor vt nūc quidem nihil amplius in votis habeam, quàm primo quoque die abiectis pristinis errorum exuuijs valetudinarium hæreticorum relinquere, & in arce Ecclesiæ Dei cum Catholicis sincero corde ac fide ambulare. En operum tuorum saluberrimam in me medicinam BELLARMINE! En quanto me malo eripueris: quantoque bono bearis! Laborabā periculosè, tu sanasti: moriebar lachrymosè, tu viuificasti, sepultus eram calamitosè, tu è pulueribus inferni atque ipsis *Acherontis* faucib⁹ excitasti, inquè regia Dei collocasti. ô magnum atque incredibile beneficium tuum! ô nunquam satis commemoranda merita? Pro ijs quid ego reponam? Nil nisi quod priscis diuorum donarijs inscribi solebat, *Aliud quidem non habeo.* Sed & Iustus Agonotheta Deus in hac iam vita constituens te inter principes populi sui, atque inter columnas Ecclesiæ suæ hanc tuam pietatem insigni laurea coronauit, inque altera longè maiori & diuiniori coronabit: quando [c] *qui docti fuerint quasi splendor firmamenti, & qui erudierint multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* En Minerual tuum

[c] Dan. 12. 3.

BEL-

BELLARMINE: En laurum! En gloriam! Qui vt misericordiæ quoque præmium consequare, exilio meo consolando sustentandoque facilè efficies. Idque vt facias, per illam sanctam tuam Deoq; plenam animam, per illas diuinas ac mihi prosperrimas *Disputationes* tuas ita rogo atque obsecro, vt maiori studio non possim. Ego interea tibi tuique simillimo BARONIO Canticum illud [d] *D. Augustini*, quod de vobis quasi vaticinans protulit, ingeminare non cessabo. *Currite ignes Sancti, ignes decori, vos enim estis lumen mundi, nec estis sub modio. Exaltatus est cui adhæsistis, & exaltauit vos, discurrite & innotescite omnibus gentibus.* Heidelb. Metrop. Palatinat. Idib. Decemb. M. D C.

[d] *Lib. 3. confess. cap. 2.*

## EPISTOLA X.

### CLARISSIMO VIRO D. IOSEPHO Windenio, Doctori Iureconsulto

### *IVSTVS BARONIVS VETERAcastrensis S.*

OVTINAM Romæ vobis vel vnum diem coram adesse liceret, clarissime WINDENI, totam mearum rerum seriem à *primo* vobis *ouo* commemorarem, exponeremq; quibus adhuc angustijs, probante Domino meam in recens cognita veritate constan-

tiam, circumseptus sim. Quin & vobis pro vestra illa insigni ad me iuuandum promptitudine, gratias quas possé maximas agerem, rogaremque, vt quàm à longè ostendistis, beneuolentiam, deinceps ad pacem anhelanti, atq; ægrè ex hisce voraginibus emergenti, præstare non desisteretis. Sed quia loci distantia ac præsens rerum mearú status, nullo id modo sinunt, literarum ministerio vtamur, donec locus & tempus meliora. Interea tu pro tua prudentia facilè reputare potes, quanta hic conuersionem meam discrimina maneant, si publicè patescat. Et tamen nonnullis aliquid suboluit: qui magna anxietate euentum rei expectãt, persuasi fore, vt temporis diuturnitate iste meus ardor refrigescat. Sed qui didici ex ore Saluatoris, non satis esse [a] *manum aratro admouere*, sed constantiam requiri, illosque demum βεβαῖον consecuturos, [b] *qui ad finem vsq; perseuerarint*: nunquam iuuante Deo committam, vt vlla me pericula, vel blanditiæ de gradu constantiæ deijciant. Nec non sæpè laudabo auream illam [c] *D. Cypriani* sententiam, *Graues viros, & semel super Petram solida stabilitate fundatos, non dico aura leui, sed nec vento aut turbine commoueri, ne animus dubius & incertus, varijs opinionibus velut quibusdam vetorum incursantium flatibus frequenter agitetur, & à proposito*

[a] *Luc. 9. 62*

[b] *Matt. 24. 30.*

[c] *Epist. 52. ad Anton.*

*posito suo, cum quadam leuitatis reprehensione mutetur.*

Quanquam igitur minimè præcipitandam arbitror meam ex hisce terris emigrationem, *dissuereq;* potius *quàm scindere* hanc cum collegis amicitiam pro [d] *Ciceroniani Lælij* consilio cupio: attamen quia ouiculã diu inter lupos versari, periculosum est, necessariò mihi aliqua securitatis ratio ineunda erit, vt Deo hominibusque fides mea constet, & familiam meam ex hoc incendio tempestiuè eripiam. Indies enim mihi audire videor id, quod *Hector Aeneæ*;

[e] *Eia age nate Dea, teq; his ait eripe flammis,*
*Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troia.*

[d] *Lib. de Amicit. Hieron. Epist. 42. ad Nicean. Hyped. Aquil.*

[e] *Virgilius 2. Aeneid.*

De fortunis meis non tam solicitus sum, quàm de vxore, ternaque prole, tenella adhuc, & in primis annis constituta. Vicissim consolatur *Pontificis Max.* bonitas & spectata φιλανθρωπία, quẽ propterea de vestro consilio peculiaribus literis certius adhuc conciliare mihi volui, modo rectum cursum tenuerim. Istas literas, vt & alteras ad *Illustrissimos Cardinales* BARONIVM & BELLARMINVM, vt tu pro tuo in me amore rectè curare velis, WINDENI, maiorem in modum peto. De BARONIO quid velim, tibi notum est. BELLARMINVM salutare, prope

diuina eius erga me merita iusserunt. Iste enim est, cuius ductu auspicijsque primum ad Catholicam ingressum feci: iste me erudijt, fouit ac confirmauit in sanctissima Dei veritate: idque eruditissimis *Disputationibus* suis: de quibus si quis alius, certè iudicioſissimus [f] BARONIVS veram tulit sententiam: *Disputationes* inquit, *Roberti Bellarmini sunt instar* [g] *turris illius, quam Dauid ædificauit cum propugnaculis, ex qua mille pendent Clypei, & omnis armatura fortium.* Sed video excrescere Epistolam. Finis sit, scribendi quidem, non autem diligendi, quod vt veræ religionis [h] *glutino* coniuncti in multos annos facere possimus, ex animo voueo & opto. Vale. Heidelb. Idibus Decemb. M.DC.

*f Tom. 1. Ann. 53. §. 32.*

*g Cant. 4. 4.*

*h Hieron. Epist. 6. ad Florent. & Epist. 103. ad Paulin.*

*LIBRI PRIMI EPISTOLARVM*
FINIS.

IV.

*IVSTI BARONII*

# VETERACASTRENSIS EPISTOLARVM SACRARVM *LIBER II.*

## EPISTOLA I.

### *CLEMENS PAPA VIII.*

DILECTO FILIO

*IVSTO BARONIO VETERA-castrensi.*

*Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

PERLECTIS litteris tuis, quas ad nos dedisti, de tua ad fidem Catholicam conuersione, cō-mota sunt viscera nostra, super filio nostro è regione longinqua, vbi [a] *fames* ac [b] *tenebræ*, & *vmbra mortis*, ad domum paternam redeunte, hoc est, ad [c] *vnam sanctam Catholicam & Apo-*

[a] *Amos 8 11*

[b] *Esai. 9 2.*

[c] *Symb. Rō. Vide Conci. Trid. sess 3.*

d 1. Tim. 3. 15. *stolicam Ecclesiam, quæ est* d *domus DEI viuentis, columna & firmamentum veritatis.* Et quamuis corpore longè à nobis absis, tamen e *in vnitate fidei, & in vinculo charitatis*, & in spiritu Christi, qui in semetipso etiam disiunctissima iungit atque conglutinat, te vt præsentem intuebamur, & f *cecidimus super collum tuum*, teque non iam vt alienum, sed vt filium, non vt membrum Diaboli, sed vt membrũ Christi & nostrum paterno affectu complexi sumus, gaudio spiritali exultantes in Domino, quia *filius noster*, filius Ecclesiæ g, *qui perierat, inuentus est, & qui mortuus erat, reuixit.* h Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, *qui* i *ostendit in te abundantes diuitias gratiæ & misericordiæ suæ*, qui te densissimis errorum atq; hæresum tenebris obcæcatum, & k planè mortuum, secundum interiorem hominem, excitauit, illuminauit, & conuiuificauit in CHRISTO, & dedit tibi l *spiritum sapientiæ, & reuelationis,*

e Eph. 4. 3. Hieron. Epist. 6. ad Fiorent.

f Luc. 15. 20.

g Luc. 15. 31. 32.

h 2. Cor. 1. 3. Eph. 1. 3. 1. Petr. 1. 3.

i Eph. 2. 7.

k Ephes. 2. 5.

l Eph. 1. 17.

tionis, in agnitione eius, vt cognoscere, & intelligires, quia [m] *vnus est* DEVS, *vna fides*, vna Ecclesia, non in vnius prouinciæ angulum coniecta, sed toto terrarum orbe diffusa, non [n] *in penetralibus*, & locis tenebricosis abdita, sed vt [o] *ciuitas* Dei *supra montem posita*, non heri aut nudius tertius excogitata, à paucis hominibus cupidis, elatis, superbis [p] qui deserẽtes *antiquitatem*, *vniuersitatem*, *consensum*, & abnegantes veritatẽ à Christo traditam, ab Apostolis promulgatam, à fortissimis Martyribus sanguine confirmatam, à sacrosanctis œcumenicis Concilijs declaratam, à sanctis Patribus per tot seculorum ætates vnanimi, atq; admirabili sensu & consensu prædicatam, seipsos solos horribili superbia & intolerabili audacia omnibus præferentes, [q] *conuerterunt se à fidei veritate ad fabulas*, & adorauerunt idola manuum suarum, nimirum hæreses & impietates suas, quibus dementarunt multos,

m Ephes. 4. 5.

n Matth. 24. 26.

o Matth. 5. 15.

p Vincent. in common. cap 2.

q 2. Tim. 4. 4.

tos, & quod sine magno dolore com memorari non potest, animas pretioso CHRISTI sanguine redẽptas, secum abduxerũt in damnationem atque interitum sempiternum. Iterum igitur & sæpius [r] benedictus Deus, & Pate misericordiarum, qui [s] *ex tenebris illis eduxit te in admirabile lumẽ suum*, & benedictus tu, fili, qui diuinę vocationi & Spiritui Sancto non restitisti, sed [t] *aperuisti* cor tuum *pulsanti* DEO, tequè [v] *præuenienti in benedictionibus dulcedinis*, quæsiuisti & inueneris sapientiam, veritatem, vitam, tene eam, nec dimittas, & ꝙ Deo auctore fortiter inchoasti, eodem adiutore constanter perfice, [x] *misisti manum ad aratrum, ne respicias retrò*. Licet te ciues, & necessarij tui, vt scribis, irrideant, detestẽtur, proscribant, ne te vllo humano affectu aut timore, aut terrenis & carnalibus rationibus à tuo sancto proposito retardari, nedum dimoueri patiaris. Vitæ auctor clamat ad te, [y] *Qui amat*

r 2. Cor. 13.
s 1. Pet. 2 9.
t Apoc. 3 20
v Psal. 20. 4
x Luc. 9. 62.
y Matth. 10 37.

*amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Etiamsi parentes, patria, cognati, amici deserent & derelinquent te, Dominus & Pater omnium assumet te, & nos, qui illius vicē in terris, imm riti licet, gerimus assumemus. Vtin ā illi exemplū tuū imitentur, sed si [2] magis tenebras diligūt, quàm lucem, illi miseri in peccato suo morientur. tu a *fuge de medio Babylonis*, & b *salua animam tuam*, c *pro qua nulla cōmutatio dari potest.* Ne ergò timeas, te enim tāquam ouem perditam, vt scribis, ad ouile Christi pulsantem, non solum non repellemus, sed vltrò accersimus, & iā nunc inuitamus, & apertis brachijs expectamus, vt complectamur, & perfectè introducamus intra gremium sanctæ matris Ecclesiæ, [d] *quæ te parturit, donec Christus formetur in te.* Veni ad nos, veni ad vrbem Romam, veni ad Ecclesiam matrem, & magistram omnium Ecclesiarum, à qua totius Ecclesiæ Catholicæ vnitas dimanat, vbi

2 Ioan. 3. 19

a Apocal. 18. 4.
b Gen. 19. 17
c Matth. 16. 26.

d Gal. 4. 19.

vbi domicilium religionis, vbi fidei Petra, & Apostolica illa successio à beatissimis Apostolis Petro & Paulo, vsque ad humilitatem nostram; quę omnes hæreses conuicit & prosternit: nos studijs tuis suffragabimur, eaque, vt expetis, sustentabimus, vt multis prodesse possis, neq; patiemur, vt quæ ad vitam, & victũ necessaria sũt desideres. Ea enim tibi sumministrari iubebimus, tuisq; commodis benignè consulemus, oni denique amoris significatione te in Domino prosequemur. Cuius nostræ in te voluntatis, has nostras litteras testes, & veluti pignus esse volumus. Deus autẽ omnis gratiæ, [e] *qui opus suum in te incepit, ipse absoluat & perficiat*, in laudem & gloriam nominis sui, *vsq; in diem Christi*, Amen. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die 17. Ianuarij. M. DCI. Pontificatus nostri Anno Nono.

[e] Philip. 1. 6.

Siluius Antonianus Card.

EPI-

## EPISTOLA II.

## CINTHIVS ALDOBRANDINUS S. R. E Cardinalis

## *IVSTO BARONIO VETERacaſtrenſi. S.*

Ornatiſſime Domine.

QVAS literas ad S.D. N. ſuperiori menſe Decemb. dediſti, eas ego quoq; perlegi, & quidem cum incredibili quadam animi mei voluptate. Erant enim huiuſmodi, vt facilè appareret, non potuiſſe tam præclara perſcribi, niſi ab eo, cuius mentē manumque diuinus afflatus iam regeret, penituſque occuparet. Tantam felicitatem tibi ex animo gratulor, Deum Opt. Maxim. precatus, vt glorioſam hanc victoriam, quā de te ipſo iam retuliſti, non tibi ſolum, ſed & alijs quàm plurimis velit eſſe ſalutarem. Quod quidem omninò fore confidimus, præſertim ſi, quod polliceris, in eam curam ſedulo deinceps incubueris, vt rectam veritatis viam aberrantibus pio officio demonſtres. De paterna Stis. Sæ. erga te caritate, nihil atinet me plura ſcribere, quandoquidem eam cumulatè exprimit *Breue Apoſtolicum*, quod mitto. De me priuatim omnia

omnia tibi pollicearis velim, quæ ab homine tui amantissimo proficisci possunt. Vale feliciter, & qui iam eruditionis laude (vt video) flores, ad solidam ex vera pietate gloriam, qua nihil illustrius, totis viribus, quod facis, contende. Romæ die 20. Ianuarij. MDCI.

---

## EPISTOLA III.

## CÆSAR BARONIVS SORANUS S. R. E. Cardinalis.

## *IVSTO BARONIO VETERACASTRENSI S.*

### Amantissime Frater.

VT perlegi literas tuas, Deo Opt. Max. [a] *cuius sunt miserationes* (vt cecinit Dauid) *super omnia opera eius*, plurimas gratias egi, quod [b] *è tenebris* te vocauerit *in admirabile lumen suum*. Hoc beneficio nullū maius, gratia nulla potētior vel vtilior, ob idq; custodienda cautius, & solicitius conseruanda, aliudque non tam generoso victori carmen sit triumphale canendum, quàm idem ipse monendus verbis Apostoli: [c] *Videte quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*; & cohortandus verbis

a Psal. 144. 9.

b 1. Pet. 2. 9.

c Ephes. 5. 16. Coloss. 4. 5.

bis Dominicis: [d] *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: & dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.* [e] Victus semel Diabolus, maiori impetu solet assurgere, & validioribus viribus victorem appetere, prout nos exemplo illo docuit Dominus, de *Spiritu nequam*, [f] qui *cum exit ab homine*, nō quiescit, sed *auxiliares copias colligit, assumens septem alios spiritus nequiores se*, vt quam dereliquit ad tempus munitionem inuadat, aut dolis expugnet. [g] *Circuit* namque *ille* (monet Petrus) *tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Quærit fugitiuum suum, militantem iam in castris Ecclesiæ, repetit transfugam suum, ne prodat artes suas & consilia sua faciat manifesta, valde timens, ne rursus [h] *Saulus* in Ecclesiæ Catholicæ conflatorio igne diuini spiritus confletur in *Paulum*, & fulmen prodeat veritatis, telum mendacij, quo ipse ad debellandas gentes est vsus. Tu verò strenue miles Christi, caue ne semel sumptum scutum fidei abijcias indecorè; magis autem teipso potentior indies euadens, [i] teipsum superа, teipsum æmulans, vt erubescas non longè maiora præstare sub Christo duce miles adscriptus, quàm sub principe tenebrarum opera exhibueris tenebrarum.

[d] Ioan. 12. 35.

[e] Cypr. de Unit. Eccles. cap. 12.

[f] Matth. 12. 43. & seq.

[g] 1 Pet. 5. 8. 9.

[h] Act. 9. 3. & seq.

[i] Hieron. Epist. 13. ad Paulin. de Instit. Monachi.

Ista ego ad te commilito tuus, cupidissi-

mus gloriæ tuæ, absens corpore clamo, præ-
k 1. Corinth. 4. sens spiritu auribus ingero. k *Spectaculum* iam *factus Deo, angelis, & hominibus*, inter duos tuos Agonothetas, *Cyprianum* & *Augustinum*, in certaminis campum ingressus, fauente Deo, ministrantibus Angelis, coadiuuantibus fratribus, sanctis monentibus & opem ferentib⁹, nihil est tibi timendum,
l Act. 5. 41. sed gaudendum; magis verò l *exultandum, si pro fide Catholica*, ipsa veritate tuenda, *aliquid pati dignus inuentus fueris*. Reddidi literas tuas Summo Pontifici, audit libenter iam diu perditæ balatus ouis, quam & iudicauit dignam, vocem audire pastoris, Apostolicis te literis alloquẽs, quibus velut extentis brachijs te complectitur, & quot
m Luc. 15. 5. 6. characterib⁹, tot petit osculis, m *imponẽs super humeros suos*, &c. quem semper verè pastorem & patrem experieris. Vale. Romæ. 20. Ianuar. Anno Domini. M. D C I.

---

EPISTOLA IV.

ROBERTVS BELLARMINVS Politianus, S.R.E. Cardinalis

*IVSTO BARONIO VETERA-castrensi S.*

Clarissime Domine.

QVOD gratia Spiritus Sancti cor tuum potenti sua virtute ad veram lucem a-

spici-

ſpiciendam & amandam conuerterit', & lætor ex animo,& gratias [a] *Patri luminum*, quantas poſſum,ago. Quod verò ad hoc efficiendum ſcriptis meis prouidentia diuina vti voluerit,exulto,mihi crede, pro fructu, ſed inani non efferor gloria. Satis enim imperfectum meum noui: neq; ignoro, [b] *virtutem Dei*, vt Apoſtolus ait, *in infirmitate perfici*,id eſt,tantò illuſtrius Dei potenti eniteſcere, quantò per inſtrumenta infirmiora operatur. Magnum Dei donum eſt agnitio veræ Eccleſiæ, in qua ſola reconciliantur homines Deo,& ſpem ſolidam cõcipiunt adipiſcendæ ſalutis æternæ. Hæc videlicet eſt *illa* [c] *pretioſiſſima margarita, quam qui inuenit,venditis omnibus comparare ſtudet*. Neque metuendum eſt, ne ſi propter fidẽ patrimoniũ amittam⁹, fame nobis & frigore pereundum ſit, cum Dominus dicat, [d] *Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*. Sed etiamſi [e] *rapinam bonorum* noſtrorum, vt Apoſtoli verbis vtar,ſine ſpe talia rurſus acquirendi, pati nos oporteret, non ideò minore ardore animi in veræ fidei profeſſionem & prædicationem incumbere deberemus. [f] *Non* enim *ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Pontifex Maximus optimam voluntatem erga te gerit,& breui da-

a Iacob. 1. 17.

b 2. Cor. 12. 9.

c Matth. 13. 46.

d Matth. 6. 33.

e Heb. 10 34

f Rom 8. 18.

bit operam, vt res necessariæ tibi & tuis ad vitam honestè transigendam non desint. Sed si fortè diutius res differretur, quàm par esset, ob distantiam regionum, & plurima negotia, quibus Optimus Pontifex quotidiè penè obruitur, velim ad mentem reuoces, quod *Moses* populo in angustijs posito dicebat, [g] *Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat an diligatis eum.* Ego pro mea virili non deero, tum precibus apud Deum, vt [h] *opus bonum, quod in te cœpit, ipse perficiat*, tum apud homines, vt temporalia subministrent ijs, quos à Patre cœlesti ad regnũ æternum vocari vident. Vale Clarissime vir, [i] *confortare in Domino, viriliter age,* [k] *omnem solicitudinem tuam in Deum proycito, quoniam ipsi est cura de nobis.* Romæ die 18. Ianuar. Anno M. D C I.

g Deut. 13. 3

h Philip. 1. 6.

i 1 Para. 22 13.

k 1. Pet. 5. 7.

---

## EPISTOLA V.

### ILL^mo ET REV^mo D. CÆSARI Baronio Sorano, S.R.E. Cardinali

### *IVSTVS BARONIVS VETEracastrensis S.*

ADXVI. Calend. Martij, cum properè SPIRAM vocatus aduolassem, redditæ mihi sunt litteræ tuæ, AMPL^me. CARDINALIS:

LIS: redditę item Pontificis Maximi, amoris, sapientiæ & consolationis vtræq; plenissimæ. Quibus quia coram respondere constitui, nihil nunc addo, nisi id, quod maximè desideratis: [a] *Iustum & tenacem propositi virum* haud ita parui cœlestis gratiæ radios, aut Sacrosanctę Cõmunionis Ecclesiasticæ fœdus facere, vt vel precum lenocinis, vel minarum terroribus aliorsum vel *latum pilum* se patiatur dimoueri. Est mihi alia veritatis, alia conscientiæ religio. Nec diffiteor hostes vndiquaque instare acres. Sed cui semper in ore ac vultu terribilis illa [b] *D. Hieronymi* tuba: *siue comedam* inquit, *siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper vox illa videtur sonare in auribus meis*: SVRGITE MORTVI, VENITE AD IVDICIVM, facilè omnes hostes contemnit, facilè in dentes illius etiam ferociſſimi [c] *Leonis* irruit, quem tu rectè dies noctesque prædas agere, ac fugitiuos suos quærere scribis. Sed quis hac de re sensus meus sit, cognosces plenius in vrbe: Cognosces etiam aliquantulum ex subnexa oratiuncula, quam hisce diebus lectione *Saturnaliorum* LIPSII calens in recentes *Myrmillones* nostros & *Andabatas* hæreticos effudi. Leges obiter pransus ad fenestram. Operæ nihil habet, ingenij perparum, fateor. At pietatis aliquantum, cuius tibi à me testem esse volo.

[a] *Horat. li. 3. carm. Ode 3.*

[b] *D. Hiero. super Matt.*

[c] *1. Pet. 5. 8. 9*

Vale, ac perpetuum clientem tuum precibus præsidijsque vndiquaq; fulci. Heidel. Calend. Martij M. DCI.

---

# ORATIO

## DE INCREDIBILI DAMNO GERMANIAE PER HODIERNAS Hæreses illato: similitudine priscarum gladiaturarum illustrata.

INTER priscæ crudelitatis exempla, interque sanguinaria fauerrimi humani generis hostis stratagemata, non postremum sibi locum vendicant *Saturnalitiæ gladiatorum pugnæ*, ac *ludus matutinus Bestiariorum*.

*Gladiatores.* Quorum quemadmodum illi, vel ad defunctorum manium propitiationem, vel ad conuiuiorum delectationem, vel ad luxum & magnificentiæ ostentationem, denis, tricenis, aut etiam millenis sæpe paribus, in foro septis circisiue, acutissimo inter sese ferro concurrentes, de vita decertabant. Ira hi non benigniori fato, homines vel liberi in prælio capti, vel serui ad hanc lanienam educati, vel *Christiani* denique ob fidem morti dediti, ad oblectãdos impiorum hominum animos, oculosque crudelium tyrannorum, vel populi sanguinem sitien-

*Bestiarij.*

tis

tis obſaturandos, crudeliſſimis valentiſſimiſque beſtijs obiecti, aduerſo cum illis Marte congredi, atq; ab ijs vel mortem vel victoriam deportare cogebantur.

Acerbum ſanè ac triſte ſpectaculum! [a] quod tãtam cladem vaſtitiemq; generi humano attulit, vt *nullus menſis abierit, qui non vicenis aut tricenis capitũ millib⁹ Europæ conſtiterit.* Quo nomine nõ ſapientiorib⁹ tantũ Ethnicis horrori, ſed Chriſtianis inprimis Imperatoribus tantæ abominationi fuit, vt nihil toto ſuo imperio execrabilius ſibi à maioribus traditum, nihil maiori cura prohibendum abrogandumque cenſuerint, quàm dira illa & funeſta ſpectacula, [b] *vbi homo in hominis voluptatem occidebatur.* Ac laudis quidem huius potiſſima pars *Conſtantino Magno* adſcribenda venit, cuius adhuc in [c] Codice ſancta hęc lex extat. *Cruenta ſpectacula in otio ciuili & domeſtica quiete non placent. Quapropter omninò gladiatores eſſe prohibemus.*

[a] *Iuſtus Lipſius lib. I. Saturnal. c. 12*

[b] *Cypr. Epiſt. I. ad Donat.*

[c] *Cod. lib. 11. tit. 43.*

*Diabolus Gladiaturæ loco hæreſes excitat.*

Sed vide maligniſſimi hoſtis noſtri fraudes & aſtutias. Pro ſua inſatiabili ad humanum ſanguinem hauriendum cupiditate, præreptam ſibi gladiaturæ lanienam dolés, redintegrata acie, pernicioſioribusque excogitatis armis, noua mundo munera, noua ſpectacula edere cœpit: & tum Patrum, tum noſtra inprimis memoria *Amphitheatris*

*tris* hæreſeon extructis, talem gladiaturam inſtituit, qua & corpora & animi hominum perpetuo dolore confecti macerarentur. Perruptis enim Eccleſiæ repagulis, ſanctisque hominum à fide & vnitate priſtina deiectis, circos ſeptaque cinxit, quibus omnis illa priſcæ gladiaturæ facies, mentis errore, & hæreſeos furore depugnaret. Atque olim quidem quos huius farinæ homines in arenam produxerit, quàm bellè illi ſuum latrocinando munus exornarint, dicere hic nihil attinet. Nunc hac noſtra ætate triplici potiſſimum manu orbem Chriſtianum depopulatur. Atque alios quidem dedit, vt ita loquar, Boreales, *Lutheri* ſigna ſequentes, ſine culta armatura cęſtibus tantum pugnantes, atque, vt ille ait, [d] *ſtipitibus duris, ſudibuſq; præuſtis.* Alios auſtrales & occiduos *Zwinglio* & *Caluino* Sacramento obſtrictos, politiſſimiſq; & acutiſſimis inſtructos telis, ad integram quaſi militiam ſufficientibus. Alios denique intermedios *Mennone* duce in aquis pyratarum inſtar prædas agentes, & vt variorum ſignorũ, ita vario quoque ferro pugnantes, præcipuè autem ſalutari fonte ſubmergentes, quos è Chriſti nauicula in ſuas cymbas pellexerunt.

*Huius ſeculi hæretici triplices.*

*Lutherani.*

*d Virg. 7. Aeneid.*

*Zuingliani & Caluiniani.*

*Anabaptiſta.*

Triplex hæc gladiatoria manus, ita ſtrenuè paſſim ſuum munus exercet, vt totam illam

*Hæretici ad familias Gladiatorum comparati.*

illam priſcam familiam reuixiſſe putes. Alij enim veluti noui SECVTORES tanto ſpiritu cum[e] *rugiente illo leone* gregem Domini in ſequuntur, ac cuſpide linguæ mendacis, maſſáque plumbea calumniarum innoxios Eccleſiæ præſules ita infeſtant, vt nemo quiſquam eorum effugere furorem poſſit. Alij tanquam RETIARII & LAQVEARII tam blandè apertaque facie ſophiſmata ſua incautis inijciunt, vt priuſquam hoſtem obſeruarint, damnabili iam errore conſtricti, irretitique teneantur. Alij inhumanorum inſtar THRECVM ita ad ſeditiones & fundendum ſanguinem aſſueti ſunt, vt cum Catholicorum copia non datur, ipſis fratrib⁹ ſuis virulentum mucronem imprimant. Alij tanquam ESSEDARII & ANDABATÆ, vel calumniarum plauſtris inſidentes, vel furoris & inſaniæ equis vecti, imperita ac cæca temeritate in medium veritatis Clypeum feruntur, laxiſque habenis ſe & alios in æternam perniciem præcipitant. Tandem his omnibus accedunt quidam veluti MYRMILLONES, HOPLOMACHI & SAMNITES: quorum illis contra veritatẽ continuũ impudentiæ tegimen, id eſt, [f] Apocalypſi interprete, *loricæ ferreæ*: His verò acies nouis doctrinarum inſignibus clara, & ſcuta magnificæ prædicationis auro cælata, & galeæ criſtatæ, vt reſpondeant ſimilitudini

e 1. Pet. 5. 8. 9.

f Apoc. 9. 9.

g Apoc. 9. 7. *locustarum*, quas g *Iohannes* vidit *similes equis paratis in prælium, & super capita habentes coronas aureas, facieſque vt facies hominum.*

Horum omnium cædes, vulnera, cadauera, rapinas, quas in omnibus mundi prouincijs quotidiè agunt & hactenus egerũt, ſi quis dextro oculo intueatur, næ ille demum triſte ac luctuoſum ſpectaculum videre ſe fatebitur, omnium quotquot ſub ſole viuunt oculis deplorandum, & conatu maximo prohibendum. Nam quod olim corporibus hominum in *Spectaculo Meridiano* accidit: id demum hic animis eorundem & ſpiritibus maiori feritate contingit: vt rectiſſimè cum h *Seneca* exclames: *Quidquid ante pugnatum eſt, miſericordia fuit, nũc omiſſis nugis mera homicidia ſunt. Nihil habẽt quo tegantur, adictum totis corporibus expoſiti, nunquam fruſtra mittunt manum: non galea, non ſcuto repellitur ferrum. quò munimenta? quò artes? omnia iſta mortes meræ ſunt. Manè leonibus & vrſis homines: meridiè ſpectatoribus ſuis obijciuntur, & victorem in aliam detinent cædem. Exitus pugnantium mors eſt. Hæc fiunt dum vacat arena.* ô veram viuamque ſpectaculorum noſtrorum Iconographiam! Quid enim? Hæreticus panoplia Diaboli inſtructus, fraude, mendacijs, technis ac blaſphemijs vndique obſitus ac

h Epiſt. 7.

tectus

tectus, cuius oculi nil nisi infernales spirant ignes, lingua præsentissimum virus fundit, manus [i] *Harpyiarum* instar nefario *contactu omnia fœdant*, quas putas strages edit? quanta vulnera animabus infligit? Tantò scilicet grauiora, [k] quantò fraudulentius omnia hic geruntur. Ostendebant *Amphitheatra* suum cuique hostem: qui cordatiores ac rubustiores erant, propositum sibi Antagonistam subigebant, ac suum tutabātur vitam. Ast hic non hostis, non interfector, non bellum aut pugna, sed pax & statæ induciæ, omniaque blandissima & securissima: quibus hominum mentes inescatæ, non tantum non galea, aut scuto repellunt ferrum, sed obuio etiam pectore accipiunt, ipsique sibi firmius imprimunt. ô fatalem calamitatem! quis sine lachrymis tantam stragem intueatur? Quocunq; oculos conuertis,

[i] Virg. 3. Aeneid.

[k] Cypr. de Unit. Eccles. cap. 1.

*Sanguine rorat humus, reboat clamoribus æther:*
*Sydera cæsorum sanguine clara rubent.*
*O Luthere caue, Caluine quiesce: reconde*
*Sicam, qui binis corpora tingis aquis.*
*Sauitum satis est: Exhorret vulnera Phœbus,*
*Mergitur infernâ cymba Charontis aqua.*
*Nec tantùm insano peregrinos perditis ense,*
*Vestra perit propriâ vita salusq; manu.*

Sed iam operę pretium puto, ludos quoque

*Scholæ pugnatoriæ haereticorum in Germania.*

que præcipuos horum laniſtarum commemorare. Quemadmodum enim olim gladiatores in familia primum habiti altique, poſtea creſcente numero & crebritate editionum in ludis quibuſdam publicis vſum armorum condocefacti, & ad pugnam inſtituti ſunt: ita etiam hæc noua manus intra priuatos nata parietes, paulò poſt publica facta, ſua καταγώγια & μονομαχο τροφεῖα nacta eſt, in quibus diſcit docetque quomodo Catholicam veritatem oppugnet, quo pede ſeſe recipiat, & quomodo obuerſa aduerſarijs in quantulo ſpatio reſiſtat.

Primumq; intermedij *Anabaptiſtæ* nulla Scholaſtica diſciplina aut theatrali ſplendore clari, in lacunis, cauernis, agris, aut medijs etiam ſæpè ſyluis diſcunt, docent, iugulant, quotquot ſimplicitatis ſuæ caſſibus induerunt. At *Lutherus* tanquam Sicarius Arcticus *Saxonia* occupata, quatuor ſibi ludos illuſtres conſtituit, quibus diſcũt omnes, qui in vicinis poſtea *Haſſiæ*, *Poruſſiæ*, *Sueuiæ*, &c. finibus nomine eius verbi Dei rudibus batuunt, homineſque ad mortis iter inſtituunt. Ij ſunt *Wittenbergenſis*, *Lipſenſis*, *Ienenſis*, & tandem *Tubingenſis* Academiæ, virtutibus ſuis ita claræ, vt orationem noſtram ipſa multitudine ſua abſterreant.

Iam *Zwinglius* & *Caluinus* facto ſyncretiſmo

tissimo familias suas coniunxerunt, & vt latioribus grassari finibus possent, varios hinc inde per *Galliam*, *Germaniam*, *Angliam*, *Belgium*, ludos aperuerunt, è quibus quanta damna communi patriæ prouenerint, publicè satis constat. Præcipuam in *Germania* sedem ac veluti arcem imperatoriam in *montibus Himeris* fixerunt, vbi leges præscribentes & dictata dantes tantum discipulorum numerum colligunt, vt colonias postea alio quoque mittant, nec vllus *Germaniæ* angulus supersit, vbi non aliquis huius sectæ tenebrio latitet, qui se data occasione tanquam ex insidijs prodat, suorumq; magistrorum spicula in obuioquosq; contorqueat. Hãc tantorum malorum officinam, quis est qui ignorare possit? Tu minuta *Babylon*, *Apollineis* insignibus clara, [1] *scriptum habens in fronte nomen Mysterium:* nega si potes, nega te matrem esse abominationum *Dipnosophisticarum* in omnibus terris: nega te mysterijs tuis, *Sacramentarijs* erroribus tuis, quotquot vsquam familiæ huius sunt, vel nascendo periisse, vel obstetricando formasse, vel nutricando aluisse. Tu *Hyrcana Tigris* vbera admoues *Gallis*, vt spurij potius *Caluini* & *Bezæ*, quam soboles Christi esse malint. Tu *Britannos*, *Heluetios*, *Belgas* instituis, vt domum reuersi patria incendia alere, quàm pacifi-

[1] Apoc. 17.

pacificæ veritati locum dare pulchrius ducant. Inprimisque hoc deteſtabili ſcelere fœcundus eſt ludus ille magnus in vrbe, cacalidus inſtitutione, denſus Tyrocinijs, ſtultus peruerſa *ſapientia*: Inde tanquam ex *equo Troiano* innumerabiles patriæ incendiarij prodierunt. Hic ſementis vicinarum ditionum, hic meſſis, hic trituratio. ô fatales Cellulæ, pingui ſagina ſordidæ, *quibus cibis corpora impletis in ſuccum, vt carius pereant in pœnam*, ſuoque ſanguine fœcundẽt arenam! Quàm metuo *Babylon*,[m] ne *veniat ſuper te ſanguis omnium*, qui à prædicato Euangelio aures præbuerunt ſeductoribꝰ, maluerunt que paucos ſequi cœcos ad perniciem, quàm multos oculatos ad ſalutem. Reſipiſce, reſipiſce,[n] *priora opera facito, ne moueatur candelabrũ tuũ de loco ſuo.* Ablacta infantulos tuos, nec quære præmium obſtetricationis tuæ, ne flagella & tormenta inuenias. Ad perniciem inſtituis, ciboſque propinas venenatiſſima errorum toxica. Nec te falle *ſapientiæ* tuæ perſuaſione, vano veritatis Eccleſiæque titulo ne tibi impone. Plures ſunt ſapientiores te, oculatiores, ſpiritu ditiores, qui te ſtultam eſſe dicunt & conuincunt. Audi mundum audientem Chriſtum: Crede mundo credenti Chriſto. [o] *Magnum ipſe prodigium eſt, qui mundo credente non credit.* Neq; hic Eccleſiæ Dei mos

[m] *Matt. 22. 35.*

[n] *Apoc. 2. 5*

[o] *S. Aug. lib. 22. de ciuit. Dei c. 8.*

aut

aut genius est, vt rupto quo cœpit filo, ad aliam transeat lineam, diuque latitans inter angusta tandem & motibus intestinis referta spelæa concludatur. [p] *Vna* est, *Sancta* est, *Catholica* & *Apostolica* est: regia est [q] *in sole collocata*, [r] mons magnus ab Oriente in occidentẽ protensus, ardentissimis luminibus lucidus. Tu autem qualis sis cognosce, parentes tuos intuere, facta tua contemplare. Ramus es ab arbore excisus, humore iam cassus, vitaque vacuus, [s] ac nisi redieris ad arborem & inseraris, succumque ab radice tractum in flores & fructus conuertas, breui incendio ignis depascendus. Scripturam iactitas, vana est gloriatio: Extra Ecclesiam scripturæ prætextus nullus est, nec potest habere sensum Christi: qui à Corpore Christi auulsus adulteræ iungitur, promissionumque sacramentis contradicit. *Augustinum* audi, *Consentio* suo suadentem: [t] *Intellectum valde ama, quia & ipsæ Scripturæ sanctæ, quæ magnarum rerum ante intelligentiam suadent fidem, nisi eas rectè intelligas, vtiles tibi esse non possunt. Omnes enim hæretici qui eas in authoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores, ac per hoc non quod eas contemnant, sed quod eas non intelligant, hæretici sunt.* Agnosce igitur culpam tuam, cerne vlcera tua. Si quid habes, quo te muniri posse putas, scito totum

Dona-

p Symb. cõstant.
q Psal. 18.6. Augustin. Tract. 2 in Epist. Ioan.
r Isa. 2.2.3. Dan. 2.34. 35.45.
s Mich. 4.12. Matth. 5.16 / Ioan. 15.6.
t August. Epist. 112.

*Donatisticum* ac *Nouatianum* esse, iam dudum voce scriptisque antiquitatis conuictum atq; damnatum. Non credis scio, veni ergò & vide: lege antiquitatē, lege præter multa præclarissimos duos[u] *Cypriani* & *Augustini de vnitate Ecclesiæ* libellos: sed secutura lege, non præscriptura: abundè dubitationi tuæ satisfiet. Sed certò scio, me *surdo fabulam*: ita perplacent sibi homines isti in erroribus suis, pulchrumque ducunt contradicere orbi terrarum, vt videantur magistri orbis terrarum, nec sicam è manibus deponent, donec *Constantinus* aliquis pro tribunali iubeat, fractisque threcidicis pacem orbi restituat.

[u] Extant separatim in Præscrip. nostrâ tract. 2. & 3.

Quod vtinam breui à vobis experiri liceat, *Sanctissimi* atque *Illustrissimi Ecclesiarum Præsules*, *fortissimi patriæ defensores ac Principes*, ne pereant ita homines in æternum consultò. Quanquam stulti sunt ipsi, cæci, non intelligētes magna ex parte, quid vel agant, vel patiantur. Illecti à sicaris spectatum adeūt ludos, & priusquam animaduertunt, auribus oculisque truncati, deinceps nec audire monentes, nec cernere ferientes possunt. Quare vestræ hæ partes sunt, qui sanis sensib[9] superestis, vt succurratis nescientibus, vt excitetis dormientes; prohibeatis cæcos à præcipitio, stultos ab incendio, malè sanos à laqueo, omnes à frau-

fraude & æterno exitio. Inprimisque tu *æterne Deus,* [x] *pater luminum* & intelligentiæ concute hominum istorum corda, vt videant quàm longè peregrinentur à te, quamque furiosè diruant ouile tuum. Fac quęrant causas secessionis suæ, an satis iustè insectentur domum tuam, & dum quærũt, inueniant veritatem in sanctis tuis & sequantur: fac videant errorem & emendent impietatem, ament quos oderunt, laudent quos condemnarunt, sequantur quos exhorruerunt, & salui fiant qui perierant.

[x] Iacob. 1. 17.

FINIS
*ORATIONIS.*

---

## EPISTOLA VI.

ILL^mo AC REV^mo D. OCTAVIO PAravicino S. R. E. Cardinali

*IVSTVS BARONIVS VETERAcastrensis S.*

QVAM miseræ sint vices rerum humanarum, AMPLISSIME CARDINALIS, quàmque variè multi in hoc vasto mundi pelago vel bellorum fluctibus iactentur, vel errorum & hæreseon procellis à salutari fidei portu, ad inhospita saxa & scopulos æternæ damnationis allidantur, plus satis,

proh dolor, misera hæc *Germania nostra* septuaginta nunc & amplius annorum suffragio demonstrat: Egoque minimus inter multos, non planè istius calamitatis expers. Sed quanta Dei in reuocandis multis ab erroribus & æterna pernicie benignitas sit: quanta item Ecclesiæ Catholicæ, quæ Christi [a] *corpus* & [b] *sponsa* est, in recipiendis tractandisque talibus lenitas & mansuetudo, meo iterum exemplo luculentissimè patet. Annos enim complures *iactatus curru inanium quæstionum*, vt loquitur author [c] *Hypognosticôn*, lapsusque *in fluctus vanæ contentionis & hæreseos, velut nauis deserta gubernaculo, per diuersa & incognita littora opinionum volutus, metuens tandem naufragij, reuertens, & in portu fidei Catholicæ, vbi me nulla posset fluctuosæ curiositatis, vel impietatis tempestas turbare vel mergere*, anchoram meam figere cupiens, ecce Apostolicæ sedis arcem adeo, flensque cogitata mea propono. Hic non secus atque olim *Aneæ* socijs *Dido:*

[a] *Ephes. 1. 23.*
[b] *Ephes 5. 23. 24.*
*2. Cor. 11. 2.*
*Apoc. 19 7.*
[c] *Tom. 7. August.*

[d] *Soluite*, inquit, *corde metum Teucri, secludite curas,*
*Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaq; arua,*
*Siue Erycis fines, regemq; optatis Acesten,*
*Auxilio tutos dimittam, opibusq; iuuabo.*
*Vultis & his mecũ pariter considere regnis?*

[d] *Virgil. x. Aeneid.*

*Vrbem*

*Vrbem quam statuo vestra est, subducite naues.*

Ita sanè mihi ad vnicas literas tota quasi Apostolica aula in occursum venit, meque complexa vlnis caritatis, noster inquit eris, abijce curas, tabentes sale artus in littore nostro pone: nauiculas tuas subducito: quacunque in re tibi vsui esse poterimus, apertos inuenies thesauros misericordię nostræ: fouebimus te auxilio, defendem° præsidio.

Ad quæ omnia ego meritò hic iam in ellogia erumpere debebam CARDINALIS ILLVSTRISSIME, & celsis laudibus extollere tam insignem humanitatem & beneficentiam vestram. Sed quæ tanta potest esse, præsertim penes me balbum, dicendi facultas, quæ non ad tam vastum laudum campum exhorrescat, & exarescat? Pontifex Opt.us. & Sanctiss.us. tanquam alter paterfamiliâs, [e] *videns à longè* redire filium famelicum, [f] *siliquis porcorum* ferè cõfectum, [g] *misericordia commotus accurrens ruit in collum meum, & osculatus* me, proferri iubet *stolam*, qua induar, & *calceamenta*, quibus muniar: *quia filius*, inquit, *meus mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus est.* Non minus domestici eius *Cardinales Illustrissimi* plausu replentur & gaudio, accurrunt, spectant, lætantur, salutant, [h] *maiusq; gaudium est super*

e Luc. 15. 20
f Luc. 15. 16.
g Luc. 15. 20 & seq.
h Luc. 15. 7.

*vno peccatore resipiscente, quàm super nonaginta nouem iustis*, qui semper cum patre manentes, *pœnitentia non indiguerunt*. Hãc tantam tamque excellentem erga me pietatem, humanitatemque nondum quidem coram, sed literis tamen abundè testatam, quibus ego verbis prædicabo? quibus laudibus efferam? lachrymæ admirantes, singultus approbantes exoriũtur pectori meo nec quicquam possum, nisi, *veni, vide, mirare, gratulare*. S. ANTONIVS, cùm ad eum scriberet *Constantinus Magnus*, humilitatis admiratione abreptus, *Ecce*, inquit, *etiam reges & principes terræ ad nos suspiciunt*. Quantò magis ego miserrimus peccator, vix è fuga domum rediens, & ne comparandus quidem ANTONIO, viro sanctitate & miraculis clarissimo, tanta beatitudine affectus, exclamare debeo: Ecce etiam summi Ecclesiarum Præsules, Pastor summus ouilis dominici, Illustrissimi eius Cardinales, viri omni virtutum genere instructissimi ac Sanctissimi, ad me miserum scribunt, ad me accurrunt, me complectuntur, me in manibus gerunt, instruunt, ad beneficiorum suorum messem inuitant. *Cicerone* hic aliquo laudatore opus est, nostra nimis frigent. Et fortè non par sit ipse

[1] Luc. lib. 7. epist. 40.

——— [1] *Romani maximus author, Tullius eloquij.*

Vos

Vos verò hæretici inuidentes, audete iam amplius exprobrare *Romæ* fastum: Ecce fastuosa non est, humilima est, benignissima est. Elati non scribunt ad humiles, etsi fortè benefaciunt humilib⁹. Tu verò rumpere liuor iners, dispergere, confundere, disce pietatem habitare *Romæ*, non elationem. Triumphet anima mea in Deo, qui tam benè mihi vult, qui auertit cæcitatem meam, tamque liberali spe exilium meum consolatur. Iam quas Pontifici Maximo, totique sedi Apostolicæ pro commemoratis beneficijs gratias debeo, vellem quidem, sed non possum exsoluere dignas. Tuam *Illustr. Parauicine* in mea causa tuenda præclarè nauatam operam tacitus nullo modo præterire possum. Pro egregia enim animi tui erga *Germaniam* nostram voluntate, non secus ac *quatuor* illi baiuli *paralytici*, [k] *qui cùm non possent appropinquare Domino præturba, nudauerunt tectum ædium, funibusq; demissis grabbatum ante oculos eius statuerunt.* Ita tu occupatissimo Pontifici & turba negotiorum quasi presso grabbatum litterarum mearum tanquam per medios parietes insinuasti & commendasti, vtque tam citò & benignè responderet, indefesso tuo studio effecisti. Hoc tantum beneficium, cum velim, nec possim satis dignè celebrare, partes meas commendo tibi omni-

[k] Marc. 2.

potentissime Deus, qui[l] *dives gratia* & benedictione, [m] *Beati*, inquis, *misericordes, quoniam misericordiam consequentur*: & [n] *qui receperit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* Heidelb. Calend. Martij. M. DCI.

l Ephes. 2. & m Matt. 5. 7 n Matth. 10. 41.

## EPISTOLA VII.

## SANCTISSIMO IN CHRISTO Patri & D. N. CLEMENTI VIII. Pontifici Maximo

## *IVSTVS BARONIVS VETERacastrensis.*

BEATA verò tempora nostra, PATER SANCTme quæ te tantum Ecclesiæ præsulem genuere! Beatum me, qui talem, post CHRISTVM, animæ meæ pastorem inueni: tam vigilem, vt balatus redeuntis ex eremo ouiculæ non obaudiat: tam fidum, vt pulsantem ad fores Ecclesiæ non repellat: tam humilem, vt voce etiam & alloquio dignetur. ô quis sacrum illud *Apostolicum* tuum satis digno encomio prædicabit? præsens ætas mirabitur affectus humanitatem: posteritas prædicabit veritatis sinceritatem: secula omnia obstupescent religionis sanctimoniam. Ita enim clementer reducem excipis, PATER, ita sincerè tyronem imbuis: ita religiosè tractas & inuitas exulem, vt & miris modis incomparabilem nominis tui famam

famam augeas, & hæreticos omnes pudore ignominiaque suffundas. Crepant multa degeneres filij, de matris desertæ in humanitate, exagitant spiritum eius celsum: Dominici gregis pastores, summos pariter & imos, quibus possunt virulentissimis conuitijs proscindunt, & fœdissimis fictorum criminum maculis conspurcāt. Sed qui tales sunt, adsint huc, aperiant oculos, pandant aures, capiant fidelissimæ matris pietatem, curam, benignitatem, solicitudinem, humilitatem, distenta vbera, religiosissimū sinum. Et si mentis stupore perculsi sunt, vel crassis manibus tangant diuinam Pastoris Summi erga miseram ouiculam propensionem, [a] *cum magna eam exultatione in humeros suos recipientem, domumq; reportantem.* ô vtinam amore tali illecti, inveniantur & ipsi, ne perditi pereant, & miseri errore, miserrimi fiant dānatione & cruciatu sempiterno! Capiant exemplū redeuntis filij & recipientis patris: neque pluris faciant superba mundi deserta, reluctantia & & relatrantia castris Dei; quæ [b] *igneo* promissionum Dei *muro* circumuallata, nihil damni è [c] *canum circūlatrantium* rabie capiunt: gaudij autem plurimum ex salute eorum, qui ex hostibus amici facti, futurę gloriæ consortium adipiscuntur.

a Luc. 15. 5.

b 4. Reg. 6. 17.

c Aug de Catil. cred. c. 17

Sed missis illis, ad te redeo *Maxime Pontifex:*

*tifex*: cui quoniã omnes totius orbis Christiani diuino humanoque iure ad promptã alacremq; obedientiam deuincti sunt, monente Apostolo, [d] *Obedite præpositis vestris qui vigilant pro animabus vestris:* Ego *Sanctitatis Tuæ* voce (quod citra summam gratiam commemorare nequeo) non solum ab hæreseos gurgite ad Sacrosanctæ *Romanæ* Ecclesiæ portum clementer admissus, verum in vrbem quoque Sanctam, in domicilium religionis humanissimè euocatus: non potui nec debui, quin quàm primum ad visenda Sanctorum Apostolorum limina, tuaque vlteriora iussa capessenda iter arriperem. Sed vide quid acciderit. *Augusta* dum me accipit, corripit febris, plusculisq; paroxysmis prostratum sistere cursum cogit. Nec medicorum voluntas alia, quàm vt hoc ingraueſcente calore quieti atque vmbræ me tradam, iter firmiori valetudini, tempestati leniori reseruem. Quæ si tua quoque voluntas, PATER SANCT^me^ mirum quàm mihi quam familiæ meæ commodabis. Ego vbi primum loco pedem mouere licebit, faxo me Catholici alicubi in *Germania* socium confessionis & æmulum pietatis habeant. Et quia in primis MOGVNTIAM, *fidelem illam atq; illustrem Romanæ Ecclesiæ filiam* cogitat animus, omnia mihi ibi securiora & certiora pollicebor, si secundã com-

[d] *Heb. 13. 17*

cõmendationis tuæ auram cymbulæ meæ afflaueris. Interea quia nihilominus quasi * *Agabo* vate non paruam huic commigrationi meæ calamitatum messem præparatam video, Deum Optimum Max. serijs votis precor, vt quam in me mentem semel excitauit, eandem spiritus sui robore perpetuò firmet atque alat, ne vnquam me vlla (quod absit) aduersitas degradu constantiæ deijciat. Tu verò Christianorum MAGNE PATER, quam erga me semel suscepisti curam & beneuolentiam, quæso per Deum nunquam depone: quin auge indies & amplia, vt *prora* mihi sis *& puppis*, scutum & hasta, in omnium necessitatum conflictu. Profiteor ego in conspectu Dei, quod antehac etiam SPIRÆ *in collegio Societatis* IESV Sacramento interposito professus sum, me sincero pectore Catholicam fidem amplecti, & ad extremum vsque spiritum amplexurum, quoscunque potuero, edocturum, & contra quosuis pro virili verbis factisq;, atque etiam si opus sit, sanguine defensurum. Nec S^tis T^æ incredibilia erga me merita vlla vnquam temporis obliuio ex animo meo delebit. [f] *Incolumem te & memorem mei* CHRISTVS *Deus noster tueatur omnipotens, Domine Verè Sancte, & Beatissime Papa.* Augustæ Vindel. II. Calend. Iunij M.DCI.

* *Act. 21. 10. 11.*

[f] *Hieron. Epist. 80. & 94 & 96. & 98. ad Augustin. Idem Epist. 55. ad Ripa.*

## EPISTOLA VIII.

ILL^mo ET REV^mo D. CÆSARI BARONIO Sorano S.R.E. Cardinali

*IVSTVS BARONIVS VETERacastrensis S.*

LVSI primum meum ad vos iter, febris malignitate abruptum. Quam vtrum equorum iactationes, vel curruum quassationes, vel diuersoriorum pultarij conciliarint, anceps sum. Id certum, vitæ hactenus sedentariæ insuetas commotiones haud parum infestas fuisse. Tempus & modum à magno illo AVGVSTINO mutuatus sum, qui & ipse quondam à *Manichæorum* scholis ad Catholicos transitum meditans: [a] *Placuit* inquit, *mihi, in conspectu tuo Domine, non tumultuosè abripere, sed leniter subtrahere ministerium linguæ meæ nundinis loquacitatis: ne vlterius pueri meditantes, non legem tuam, non pacem tuam, sed insanias mendaces, & bella forensia, mercarentur ex ore meo arma furori suo. Et opportunè iam paucissimi dies supererant, ad vindemiales ferias, & statui tolerare illos, vt solenniter abscederem, & redemptus à te iam non redirem venalis. Consilium ergo nostrum erat coram te, coram hominibus autem nisi nostris non erat: & conuenerat inser*

[a] *August. lib 9. confess. cap. 2.*

*ter nos ne passim cuiquam effunderetur.* Et nō nullis interpositis: [b] *Peccasse me* inquit, *in hoc quisquam seruorum tuorum fratrum meorum dixerit, quod iam pleno corde militia tua, passus me fuerim vel vnahora sedere in Cathedra mendacij. At ego non contendo. Verumtamen quia propter nomen tuum quod sanctificasti per terras, etiam laudatores vtiq; haberet, votum & propositum nostrum, iactantiæ simile videbatur, non operiri tam prosmum feriarum tempus, sed de publica professione atque ante oculos omnium situ antè discedere, vt conuersa in factum meum ora cunctorum intuentium quàm vicinum vindemialium diem præuenire voluerim, multa dicerēt, quod quasi appetissem magnus videri. Et quo mihi erat istud, vt putaretur & disputaretur de animo meo, & blasphemaretur bonum nostrum?* Hęc *S. Augustinus* magnum illud orbis Christiani lumen, quæ ego totidem verbis (vt parua magnis cōparem) de me dicta velim. Nam nec ego ante statas *paschatos* ferias, ne cum tumultu desiderarer, nec non nisi cum amicis communicato consilio, ne [c] *circulum turbarent* οἱ ἐν ἄυλαις πράττοι, iter meum capessere volui. Nihilominus vt [d] *Paulum* olim ac *Silam* è *Mysia* in *Bithyniam* ire properantes, prohibuit spiritūs Dei, sciens articulos & opportunitatis tēporum, [e] *disponens sq; omnia suauiter*: Ita mihi, cum

[b] *Ibidem.*

[c] *Archimedes apud Plutarch. in Marcell.*

[d] *Act. 16.7*

[e] *Sap. 8.1.*

hi, cum iustam videndæ vrbis horam nondum affulsisse videret, remoram [f] *agritudinis corporalis* iniecit, vt [g] *per tempus*, vel *tempora*, vel *dimidium temporis*, MOGVNTIÆ (quo potissimum mens aspirat) tyrocinijs fidei completis, instructiorem postea atque assuetiorem *Romæ* Sanctis Apostolis cultum exhiberem. Successum spero tu, *magnum decus & præsidium meum*, apud Deum, Pontificem, Archipræsulem *Moguntinum* votis tuis exorabis. Ita me totum tuæ commendo & committo fidei. Plura febris ingraescens non sinit. Vale longissimè. Augustæ Vindel. 11. Calend. Junij. M.DCI.

[f] *August. lib. 5 confess. cap. 9*

[g] *Apoc. 12. 14.*

---

## EPISTOLA IX.

### *CLEMENS PAPA VIII.*

### IVSTO BARONIO VETERA-canstrensi. S.

*Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

MINVS voluptatis nobis attulerunt litteræ tuæ, *Augusta Vindelicorum* datæ, quàm certè attulissent, si de tua exterioris hominis prospera valetudine ea audiuisse-

mus,

mus, quæ semper optamus. Nam in interiori homine te per Dei gratiam egregiè valere, & diuino Spiritus Sancti lumine magis magisque illustrari, multo nostro cum gaudio perspicimus. Nunc autem molestum est, quod scribis, te cum iam *Romam* pergeres, in morbum, sicut Domino placuit, incidisse. Sed bono animo esto fili, [a] *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* is, [b] *qui te è tenebris eduxit in admirabile lumen suum*, ipse [c] *solicitus* erit tui, & [d] *omnia* tua *suauiter disponet.* [e] Confortare ergo in eo, & [f] quod facis fac, vt [g] diuitias bonitatis eius prædices, & [h] quã ta fecerit tibi, magna constantia, nõ minori pietate enarres. nam quæ scribis, te egisse *Spiræ in Collegio Societatis Iesu*, vt [i] Deo altissimo gloriam dares, & sancto proposito animi tui firmitatem ostenderes, iucunda nobis fuerunt. Sic [k] *maius gaudium est in cœlo Angelis Dei*, sic Ecclesia sancta, & boni omnes impensius lætantur, & [l] anti-

[a] Rom. 8. 28
[b] 1. Pet. 2. 9.
[c] Psal. 39. 8
[d] Sap. 8. 1.
[e] 1. Par. 22. 13.
[f] 2. Cor. 12.
[g] Rom. 2. 4.
[h] Luc. 4. 22.
[i] Ioan. 9. 24.
[k] Luc. 15. 7.

l Apoc. 12.9 l antiquus hostis *Satan* cum filijs te-
m Ps. 111.10. nebrarum m fremit & tabescit. Sed
n Luc. 1.49 speramus in ipso, n qui potens est, &
o Ps. 146.5. cuius misericordiæ o non est nume-
p Coloss. 1.13 rus, quod multos exemplo tuo p *eripiet ex potestate tenebrarum, & transferet in Regnũ filij dilectionis suæ*, vt & ipsi
q Ioan. 12. 35. q sint *filij lucis*. Confortare igitur iterum & sæpius fili in Deo tuo, qui nunquam te deseret, & nos certè, qui te paternè amamus, non deseremus, sed studijs tuis fauebimus, & commodis tuis, quantum cum Domino poterimus, amanter consulemus. Nec te nobis gratias agere opus est. Nam dum nostri in te amoris significationem aliquam damus, in eo ipso nos plurimũ oblectamur. Itaq; libenter admodum scripsimus, vt petisti *Dilecto filio Electo Moguntino*, eique te, & tuos, & quęcunque ad te pertinent, efficaciter commendauimus, nec dubitamus, quin ille insigni virtute præditus Princeps, & sua sponte, & nostro intuitu te omni officio

officio ac pietate complectatur. Quod verò scribis, te familiæ tuæ cognomen, ob impij illius, & detestabilis Satanæ ministri *Caluini*, iam horrere, nec illud iam amplius vsurpare, sed ex nostra autoritate mutare velle, agnoscimus & in hoc quoq; zelum tuum Catholicæ fidei, eamq; mutationem vt tuo arbitratu facias, tibi ipsi permittimus. Quod reliquũ est fili, Deum precamur, vt suam in te gratiam tueatur, & augeat, cuius vice nos licet immeriti, Apostolicam benedictionem nostram tibi ex animo impartimur. Datum Romæ, apud Sanctos Apostolos, sub annulo piscatoris. die 12. Iulij. M. D C I. Pontificatus nostri Anno Decimo.

Siluius Antonianus Cardinalis.

EPI-

## EPISTOLA X.

## CINTHIVS ALDOBRANDINUS S. R. E. Cardinalis

## *IVSTO BARONIO VETERacaſtrenſi. S.*

Admodum Magnifice & Ornatiſſime Domine.

PATERNVM S. D. N. erga te animum declarare pergunt alteræ S^tis S^æ litteræ, quas etiam mitto. Quid autem & ipſe cauſa tua velim, mallem equidem ſolidis officijs, quàm verbis oſtendere: & oſtendam vel non rogatus, vbicunque ſe eius rei dabit facultas. Sic enim exiſtimare debes, non ſolũ me ex tua ad Catholicã fidem conuerſione ſingulari quodam gaudio affectum, ſed etiam ſtatim erga te ſic fuiſſe animatum, vt in te diligendo nemini eorum concedam, quos noſti eſſe tui amantiſſimos. Prioribus S^tis S^æ litteris ego itidem officij cauſa comites adiunxeram paucos verſiculos, quos vna tibi redditos arbitror. Vt vt ſit, hoſce denuò certiſſimos teſtes habebis meæ in te propenſiſſimæ voluntatis. Quod reliquum eſt, à Deo Opt. Maximo ſummis precibus cõtendo, vt quemadmodum mente & animo, ſic etiam corpore perpetuò valeas, cui

iterum

iterum omnia ſtudia atque officia mea lubens defero ac polliceor. Romæ die 14. Iulij M.DCI.

## EPISTOLA XI.

### CÆSAR BARONIVS SORANUS S. R. E. Cardinalis

### *IVSTO BARONIO VETERACASTRENSI S.*

Clariſſime Domine.

ACCEPI litteras tuas, ex quibus ſummum dolorem hauſi, quod te, quem hoc tempore, quo itineri te cõmiſeras, rectè valere optaueram, nunc in morbũ incidiſſe intelligam. Equidem ſummoperè cuperem pluribus verbis te conſolari, niſi ſcirem ea te fortitudine eſſe, vt à nullo potius, quàm à te alleuationem vllam debeas expectare: cum omninò confidam,[a] *infirmitatem hanc non eſſe ad mortem*, quod olim Dominus noſter ſororibus Lazari ægrotantis reſpondit, *ſed pro gloria Dei.* Porrò cum S. D. N. regi de rebus tuis, qui ea propenſione in te eſt animat⁹, vt nihil æq; deſideret, quàm vt omnia tibi cedant feliciſſimè. Quapropter bono animo eſto. Etſi enim conſtitutus ſis (vt Paulus ait)[b] *in labore, in ærumna, in vigilijs, in frigore, & nuditate,*[c] *confide tamen in Domino,*

[a] Ioan. 11. 4.

[b] 2. Cor. 11. 27.

[c] Pſ. 36. 3.

d Psa. 40.4 e Deut. 7.15 *mino, sicut mons Sion.* Nam ipse [d] *opem ferat super lectũ doloris tui,* & [e] *auferet à te languores & infirmitates pessimas.* Ego verò quamuis satis notum esse existimem, qua beneuolentia te tuaque negotia sim prosequutus, cupio intelligas nihil mihi tam graue vnquam posse euenire, quod me ab hoc meo animo valeat auocare. Romæ. Pridie Id. Quint. M. DCI.

---

## EPISTOLA XII.

## IVSTVS BARONIVS VETERacastrensis

## *HENRICO BELLANO*

*Socero S.*

ETsi probè scio, *Humaniss*[e] D. SOCER, non iucundissimum me tibi aut familiæ parentibusue nuncium allaturum, qui omnes pariter à CATHOLICA fide, quam ex hisce meis me palam amplexum intelligetis, toto quasi cœlo & plusquam *Vatiniano odio* dissidetis: attamen quia ipsi testes estis, pluris faciendum Iustissimi Dei amorem, conscientiæ tranquillitatem, & communem omnium nostrum salutem, quam fluxam aliquam, lubricam & pernicioſam in erroribus sectandis concordiam, Iusta me ratione impulsum putaui, vt nonsolum securus famæ manifestissimæ DEI veritati,

à quâ

à quà longè aberrassem, manus darem, sed vobis etiam cæterisque de mea absentia solicitis totius consilij rationem perscriberem, locumque familiæ, quo sese ad me ocyus reciperet, designarem. Nam ad VI. Calend. Maij.[a] *S. Augustini* Exemplo feriarum Scholasticarũ opportunitate solutus, rheda (vt scis) publica *Spiram* deuectus, Catholicas interea Ecclesias obiui, meq; cum ijs societate & fœdere astrinxi, qui Nouitatum hostes priscę Romanæ fidei normam sanctè religioseque tuentur. Proximè *Augusta* redux, *Moguntiam* appuli, eumq; locum sedi figendæ opportunissimum fore speraui, quod & propius à vobis absit, & faciliorem familiæ transportandæ rationem ostendat. Hanc igitur cum suppellectilibus vt bona magistratus venia continuò ad me mittatis, oro. Sin renuat, instabitis, ac me de remora laxanda tempestiuè facietis certiorem. Vestrũ in rẽ totam animum nihil moror neque miror. Doleo tamen esse intemperantiorem. Laudem merentur & præmium apud cœleste numen, qui egressi *Babylonem* vestram publicè Ecclesiæ Dei agglutinantur, diuturnæque rebellionis pœnas à semetipsis deposcunt. Certè quàm necessaria sit omnibus ad salutem aspirantibus veræ Ecclesiæ communicatio, præter nostros, *Augustinum*, *Cyprianum*, *Hieronymum*,

[a] *Lib. 9. confess. cap. 2. Vide proximè ante, Epist. 8.*

*mum*, ipse CALVINVS vester docere te potest, cuius in INSTITVTIONE malè sana hæc saniſſima verba extant.[b] *Incipiam* inquit, *ab Eccleſia: in cuius ſinum aggregari vult Deus filios ſuos, non modò vt eius opera & miniſterio alantur, quãdiu infantes ſunt ac pueri, ſed cura etiam materna regantur, donec adoleſcant, ac tandem perueniant ad fidei metam. Hæc enim* * *quæ Deus coniunxit ſeparari fas non eſt, vt quibus ipſe eſt pater, Eccleſia etiam mater ſit: neq; id ſub Lege modo, ſed etiam poſt Chriſti aduentum, teſte Paulo, qui*[c] *nouæ & cœleſtis Hieroſolymæ nos eſſe filios docet.* & Paulo poſt. [d] *Tantum poteſt Eccleſiæ participatio, vt nos in Dei Societate contineat. Atq; iterum,*[e] *Quia nunc de viſibili Eccleſia diſſerere propoſitum eſt, diſcamus vel vno* matris *elogio, quàm vtilis ſit nobis eius cognitio, imò neceſſaria: quando non alius eſt in vitam ingreſſus, niſi nos ipſa concipiat in vtero, niſi pariat, niſi nos alat ſuis vberibus, deniq; ſub cuſtodia & gubernatione ſua nos tueatur, donec exuti carne mortali,*[f] *ſimiles erimus Angelis. Neq; enim patitur noſtra infirmitas, à ſchola nos dimitti, donec toto vitæ curſu diſcipuli fuerimus. Adde quod extra eius gremium* nulla eſt ſperanda peccatorum remiſſio, nec vlla ſalus, *teſte*[g] *Iſaia &*[h] *Ioele. Quibus ſubſcribit*[i] *Ezechiel, quum denunciat in Catalogo populi Dei non fore, quos à cœleſti vita abdicat. Sicuti ex oppoſito dicuntur*

b Calu. lib. 4. inſt. ca 1. §. 1.

* Marc. 10. 9.

c Gal 4. 26

d Ibid. § 3.

e Ibid. § 4.

f Matth. 22. 30.

g Iesa 37 32

h Ioel. 2. 32.

i Ezech. 13. 9.

tur nomẽ suũ inscribere inter ciues Hierosolymæ, q se ad veræ pietatis cultũ conuertunt. Quæ ratione & alio [k] Psalmo dicitur, *Memento mei Iehoua in beneplacito populi tui: visita me in salute tua, vt videam beneficentiam electorum tuorum, læter in lætitia gentis tuæ, gaudeam cum hæreditate tua.* Quibus verbis paternus Dei fauor & peculiare spiritualis vitæ testimonium ad gregem eius restringitur, vt semper exitialis sit ab Ecclesia discessio. Ab hac Caluini Theologia profectò parum Caluiniana vide quàm prope Catechetæ vestri VRSINVS & PAREVS absint. [l] *Hæc doctrina* inquiunt *est prima & præcipua nota veræ Ecclesiæ, quam Deus in mundo vult esse conspicuam, & separari à reliquo genere humano, iuxta dicta:* [m] *Fugite Idola.* [n] *Exite è medio eorum, & separamini.* [o] *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ei nec aue dicite.* [p] *Sancti estote, immundum ne tangite, qui fertis vasa Domini.* [q] *Exite ex ea populemi, ne ex plagis eius accipiatis. Vult autem hanc separationem Deus fieri: Primò, propter suã gloriam. Vt.n. non vult ipse commisceri cũ idolis & diabolis: ita etiam vult suã veritatem discerni à mendacijs, & suos domesticos ab hostibus Ecclesiæ, hoc est, filijs diaboli segregari. Contumelioſum est Deo, cogitare, quod velit tales filios habere, qui eum persequantur. Blasphemum est, Deum facere autorem doctrinæ*

k Psal. 106. 4.

l In prolegom. Catechet. general. quæst. 1. p. 2. Item p. 400. quæst. 7. de Eccles.

m 1 Ioan. 5. 21.

n 2. Cor. 6. 17.

o 2 Ioh. 10.

p Iesa. 52. 11.

q Apoc. 18. 4

2. Cor. 6. 14. *impiæ, & patronum blasphemorum.* [1] *Quæ enim concordia Christo cum Belial? Deinde propter consolationem & salutem electorum.*

*Necesse est enim Ecclesiã in hoc mundo conspici, vt sciant electi dispersi in toto genere humano, cui cœtui se debeant adiungere in hac vita, & ad Ecclesiam aggregati, hac certa consolatione fruantur, se esse in eo cœtu qui Deo placet, & qui habet promissiones vitæ æternæ. Vult enim Deus omnes saluandos aggregari Ecclesiæ in hac vita, quia extra Ecclesiam non est salus.* Hæc illi.

Iam quod vera illa & germana Christianorum mater, vera & orthodoxa Apostolica Ecclesia, sit vna hæc Romana, Pontificum & Episcoporum moderamini subdita, & conscientiæ meæ probatissimum est, & facilè si animum adijcias, aduersus *Lutheri & Caluini* Synagogulas demõstratu. Quod dum ego in vsum vestrum molior, cogitate quæso, quàm firmæ & claræ sint Dei de spõsa sua promissiones, cogitate quàm necessaria sit ad Christi regnum æternum, & miseræ plebeculæ, quæ exorientibus hæresib' nullo se meliori quàm Ecclesiæ fulcro sustentare potest, salutem perpetua Ecclesiæ stabilitas. Cogitate quam sit certa & euidens illa ratiocinatio: Nullam aliam sinceram esse fidem posse, quam quæ ab *Apostolis* profecta per continuam omnium Patrũ

&

& seculorum successionem ad nos vsque propagata sit. Nisi enim *Apostolos* truncos aut stipites efficere velimus, necesse est saltem primitiuam ab ipsis Ecclesiam rectè fideliterq; institutam fateamur: & quia[s] *vestri primis sexcentis annis Ecclesiam virginem perstitisse agnoscunt*, necesse est illorum sex seculorum scriptoribus puræ incorruptæque veritatis autoritatem concedamus. At si periculum faciamus à proximo ad proximum, à *Martiali* ad *Dionysium*, à *Dionysio* ad *Ignatium*, ab *Ignatio* ad *Clementem Romanum*, à *Clemente* ad *Iustinum*, à *Iustino* ad *Irenæum*, ab *Irenæo* ad *Clementẽ Alexandrinum*: à *Clemente* ad *Originem*, ab *Origine* ad *Dionysium Alexandrinum*, à *Dionysio* ad *Tertullianum*: à *Tertulliano* ad *Cyprianum*, à *Cypriano* ad *Arnobium*: ab *Arnobio* ad *Lactantium*, à *Lanctatio* ad *Hilarium*, ab *Hilario* ad *Athanasium*, ab *Athanasio* ad *Cyrillum*, à *Cyrillo* ad *Ambrosium*, ab *Ambrosio* ad *Optatum*, ab *Optato* ad *Basilium*, à *Basilio ad Epiphanium*: ab *Epiphanio* ad *Gregorios* tum *Nazianzenum* tum *Nyssenum*: à *Gregoriys* ad *Hieronymum*: ab *Hieronymo* ad *Chrysostomum*, à *Chrysostomo* ad *Augustinum*, ab *Augustino* denique per intermedios ad *Gregorium* vsque *Magnum*: nullam in vniuersis aliam fidem, nullam aliam cæremoniam, nullam aliam denique religionis micam præter vnã

[s] *Luther. de Capt. Babylon. Item in Sup put. Annor. mundi. Calu. Epist. ad Sadol. Et lib. 4. Instit. cap. 17. §. 40 & 6 2 §. 3.*

*Pontificiam Romanam* deprehendemus. Vt iam consequens esse ipse agnoscas, huic vni & soli veritatis palmã deferendam, huic vni & soli fidẽ nomenque dandum, cuiuscunque etiam *Catilinæ* aut *Cethegi* hactenus partes contra patriam secutus fueris. Spero dixisse me, quæ si non tollendæ, saltem mitigandæ bili vestræ sufficiant. Plura si desideratis, faxo suo tempore. Nunc id vnum volui, sciretis quæ me terra haberet, quoq; iter familia ad me dirigeret. Hanc ne longiori mora suspendatis, oro. Vale, & cum domo tua meaque salue. Moguntiæ 6. Idus Iunij. M. DCI.

---

## EPISTOLA XIII.

## IVSTVS BARONIVS VETERacastrensis

## *DAVIDI PAREO, ACAD. HEID. Professori S.*

*Pleniorem Pareana Epistola confutationem, vide Epist. proximè sequenti XIV.*

LITTERAS tuas optimo animo, sed maximo errore scriptas, *Clariss^e.* PAREE, hoc ipso vespere sub cœnam accepi pariter ac legi, sed sine omni mentis de sancto proposito dimotione. Illis vt respondeam, necessitas quidem & præter conscientiam nominis & famæ ratio postulare videtur. Huiusmodi enim me maculis conspurcas, vt nisi me probè purgem, meam ipse famam flagitiosè

tiosè proſtituere videar. Sed vt cuncter, iuſtus periculi metus facit. Cauete mihi & meis de non inijcienda remora, habebitis breui integram & fuſam cauſæ meæ defenſionem: in qua non hoc agam, quod vobis propoſitum eſſe video, vt perſona perſonã laceſſat, aut inania cõuitia aërem verberẽt, menteſq; exaſperent, ſed vt cauſa cũ cauſa, ratio cum ratione decertet. Literæ ſanè tuæ magnum verborum apparatum habent, & multa de *Babylone*, de *Aegyptijs ollis*, de *Antichriſto* & eius iugo ingeminant, ſed nihil probant, eaque vt controuerſiſſima, ita à veſtra parte infirmiſſimis coniecturis, ſeu vt veriꝰ dicam, calumnijs innixa ſunt. Probare illa, non præſupponere oportebat, & poſtea probatis reprehenſionem facti mei ſuperſtruere. Sed enutrito nimirum in fide *Caluiniana* ſatis iſta probata credebas. Equidem erant quondam ſpecie quadam veri inſtillata. Sed qui diligentius iſta maturiori ætate ponderaui, *Sacroſanctæ Antiquitatis* iudicio temperaui, vana & commentitia inſtabilium ingeniorum figmenta eſſe deprehendi. Queſo diſcite vos tandem honorem aliquem habere patribus veſtris, clariſſimis Eccleſiæ luminibus, nec putate Spiritum Domini ab illis in vos ſolos receſſiſſe. Ecce ego fidenter aſſero, totam vobis *antiquitatem* à primo ſtatim patre ad vltimum

vsque (quorum quidem scripta ad manus nostras peruenerunt) non in vno aliquo, sed in omnibus, quos ab *Romana* Ecclesia diuersos habetis, articulis aduersari: vestri etiam fidem hodiè non minus *Orientalibus* quàm *Occidentalibus* Ecclesijs damnatam esse, lectione cognoui. Aut ergo asserite vos solos[a] *à vite præcisos* errare, quod probabilius est, aut totam Christi Ecclesiam non in hac tantum mundi senecta, sed ab initio quoque in errore versatam, & quia *Romanæ* Ecclesię instituta examussim sequitur, *Characterem Antichristi* in primo statim ouo, vt ita loquar, accepisse, ac propterea perijsse. Quæ tanta blasphemia est, vt nulla maior esse possit. Sed inhibeo manum. Leo Palatinus vnguem ostentat. Mittite ad me pri⁹ vxorem cũ liberis & suppellectile, aut de securitate cauete, habebitis à me literas rationum plenas, nec modestiæ inanes. Interea non est quod metuatis, ne religiosorum aut Monachorum ordini accedam, ne vxore pro concubina abutar. Prôh dedecus, vnde hæc vox vobis in mentẽ? Omnesne Catholici sacerdotes? omnesne sacerdotes concubinarij? longè aliud meum propositum est. Iuri animum adieci, eique studio absoluendo honestum Pontifex stipendium addixit. Itaque reddite mihi familiam; politicum & ciuile mecum vitæ genus ducent.

[a] *August. in Psa. cont. partẽ Don.*

ducent. Conſcientiæ vxoris iam ante ſæpe & ſatis cautum eſt, & adhuc à me religioſe cauetur. Deus illam reſtituat, & ſpiritu conſolationis roboret, quo neceſſarium mecũ fortiter exilium ferat.

Quod tam horrendis me vocibus inceſſis, *Apoſtatæ, profugi, veteratoris contra conſcientiam agentis*, ſanè iniquè moleſteq; fero. Quid enim? putas ne me tam prodigum eſſe ſalutis meæ, vt cum ſummo diſcrimine & offenſione acerbiſſima chariſſimorum conſcientiam læſurus, & reclamante animo in exilium tranſiturus ſim? GALEAZIVS veſter *Caracciolus*, cuius ipſi vitam *Heidelbergæ* impreſſiſtis, cum *Caluiniſmum* amplexatus clam domo aufugeret, & *Geneuam* veniens priore vxore abdicata aliam ſuperinduceret, nunquid ipſe profugus, veterator, Apoſtata, deſertor erat? nunquid contra conſcientiam agebat? non ais, quia ad meliores tranſibat partes. Idem iuris mihi tribue, qui meliora & mitiora, vt res ipſa clamat. *Apoſtaſiam* nullam agnoſco, niſi qualem *Paulus* fecit à *Iudæis*, & *Auguſtinus* à *Manichæis:* quos in more habuiſſe teſtatur, vt ſi quis illorum retia rupiſſet, & Catholicæ vnitati acceſſiſſet, quam primum de illo clamarent, [b] *Lumen per illum tranſitum fecit.* Sed memineris chariſſime compater, quod *Cyprianus* ſimili in caſu reſpõdit, cum vnita-

[b] *Auguſt. de Vtil. credendi cap. 1.*

vnitatem Ecclesiæ contra *Nouatianos* asse-
reret:[c] *Non nos ab illis, sed illi à nobis recesse-*
*runt*. Illi enim[d] *diuersa sibi conuenticula sta-*
*tuerunt, illi veritatis caput atq; originem re-*
*liquerunt,*[e] *Cathedram Petri, super quam fun-*
*data est Ecclesia*. Eodem modo si vos vnita-
tem Ecclesiæ, quæ teste eodem Cypriano,
[f] *Adulterari non potest*, multo minus in *An-*
*tichristianismum* degenerare, firmiter & cō-
stanter tenuistis, nec cum *Luthero* & *Cal-*
*uino* Apostatæ facti essetis, non mihi iam
vestrum crimen exprobraretis. Plura festi-
natio tabellarij non sinit. Valete igitur, &
familiam vobis cōmendatam habete. Ra-
ptim Mogunt. 16. Cal. Iulij. M. D C I.

c Cyp. de Vnit. Eccles. cap. 9.
d Ibidem.
e Ibidem. cap 4.
f Ibid. c. 5.

---

## EPISTOLA XIV.

## IVSTVS BARONIVS VETERA-
canstrensis

## *HENRICO CALVINO PATRI,*
*Henrico Bellano Socero, cæterisq; suis in*
*Palatinatu Necessarijs, Collegis*
*& amicis.*

### *Illuminantem Dei gratiam.*

*Apologia primatu ad parentes & necessarios*

ET literis multorum, & sermone omni-
um perfertur ad me, CHARISSIMI, in-
credibilem esse animi vestri grauiter adhuc
in me accensi perturbationem atque iram,
incredibilem totius ciuitatis motum, adeò
vt &

vt & Princeps miretur,& Senatus indignetur,& populus vobiscum lamentetur,Prædicantium vero cætus odiosissimis verborum ludibrijs incessat religiosissimam meam ad Catholicos transmigrationem. Ego verò vt mea causa facilè omnes huiusmodi fluctus & tempestates contemno,ita vestra causa doleo,vosque paulo minus exanimatos esse opto. Ecquid enim est,ô boni, quãobrem tam tragicè vos habeatis? Ecquid est, cur tam sinistra vel ipsi de me passim spargatis,vel ab alijs sparsa temerè credatis? Nonne ipsi profitemini, hunc esse diuinæ religionis genium,vt [a] *separet hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam?* Nõné agnoscitis, grauiorem esse fidei causam,quam quæ parentum amicorumé nutui aut arbitrio committi debeat aut possit? Nempe vt Poëtæ tralatitijs verbis dicam:

[b] *Temporis æterni hîc, & non tantum vnius horæ*
*Ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis*
*Ætas, post mortem quæ restat cunque manenda.*

a Matth. 10. 35.

b Lucretius Lib. 3.

Quin igitur hoc pede me vestro metimini, vt quàm vobis in religionibus maiorum derelinquendis facultatem sumpsistis, mihi ipsi quoque concedatis, meque Dei potius

potius ac conſcientiæ quàm hominum ductum ſequi permittatis? Non eſt iniquior lex vlla, quam quæ in vno probat, quod in altero damnat, quæ non veritatis lance, ſed ſuopte affectu verum iuſtumq; penſat. Sed video vlcus animi veſtri. Non tam mihi vobiſcum res eſt, quam cum conſultoribus veſtris: conſultoribus inquam prauis, cæcis, ira odioque aduerſus Catholicam fidem accenſis. Quorum vel tribunitijs concionibus, vel priuatis ſuggeſtionibus & calumnijs quandiu vos aures præbebitis, vix eſt vt ego vllum meæ apud vos excuſationis fructum ſperare audeam. Verè enim Cicero: [c] *Vt mare* inquit, *quod ſua natura trãquillum ſit, ventorum vi agitari conſtat atq; turbari: ſic & homines ſua ſponte placati, hominum ſeditioſorum vocibus vt violentiſſimis tempeſtatibus concitantur.*

[c] *Pro A. Cluent.*

Attamen quia nuper Hyperaſpiſtes veſter *Parcus*, quem ad me ſolicitandum ſubornaſtis, ſua ad me Epiſtola, cui reſpondere me plenè atq; ex voto, vt neceſſitas poſtulabat, temporis anguſtia paſſa non eſt, in ipſo ſtatim veſtibulo decem potiſſima querimoniæ veſtræ capita commemorauit, quibus & compita, & muſæa, & conuiuia, & templa reſonare facilè auguror: imo quæ præcipuum doloris veſtri fomitem eſſe omni ratione cognoſco: age ne ſibilans hæc hydra,

hydra, vel *Decacornis* potius bestia quicquá mihi aut vobis molestiæ deinceps facessat, nouum illi prælium mouebo, ac singulis ordine capitibus excisis hanc luctui vestro medicinam, hoc famæ meæ leuamen afferre conabor. Nam quæ insuper *Pareus* vel à detortis, vel malè intellectis Catholicæ doctrinæ capitibus præsidia petit, eiusmodi sunt, vt vel tanquam falsa & commentitia coargutione non indigeant: vel tanquam prolixiora, non sint huius loci. Nam[d] *singula quæ* hæretici *proferunt deliramenta, vt breuior Epistolæ sermo subuertat, necesse non est*, ait Marcellæ suæ S. Hieronymus.

[d] *Epist. ad Marcell. contr. Mont.*

Principio igitur, vt ἄνευ ἡδονῆς πρooιμίᾳ rem ipsam aggrediar, ita summam accusationis suæ ebuccinat Pareus: *Me contra diuina & humana iura, contra fidem & conscientiam meam, contra denique honestatem & humanitatem omnem, dulcissimos liberos meos, cum coniuge mei amantissima, legitimam vocationem meam, ipsamq; orthodoxam fidem & Ecclesiam, in qua natus & educatus sim, clanculum profugum deseruisse; adeoq; & mihi reatum apud Deum opinione mea grauiorem, & infamiam apud bonos omnes, vobis verò omnibus dedecus cum dolore acerbissimo, scandalum deniq; publicè in Ecclesia Dei conciliasse.* Multiplex certè ac vehemens accusatio, si pares probationes. Sed (expectate dum pro-

probem) thesaurus quod aiunt carbones. E decem illis quæ improperat piaculis, ne vnum quidem vnius argumentum proferre habet. * Quid enim ipsum primum ac summum, de Iure diuino scilicet & humano à me violato carmen? Ampullæ meræ sunt, & nugæ meræ. Quam in rem non alium nisi vnum Augustinum testem citabo, cuius hæc δὶς διὰ τϖασῶν abludés vox extat. [c] *Omnia diuina & humana Iura permittunt quærere Catholicam fidem. Tenere autem & colere per humanum certè Ius licet, si de diuino quãdiu erramus, incertum est.* Hæc Augustinus. Quid *Pareus?* Violat inquit diuini & humani Iuris Maiestatem, qui Catholicæ fidei è Caluinismo cultor accedit. Proh quantum *Augustini Pareiq;* sensus distant! Ait ille, quod hic negat: laudi ducit ille, quod hic probro. At ego *te Paree* explicare velim, quod nam Ius diuinum prohibere censeas adire Ecclesiam Catholicã? Quam [f] *symbolo* credere iubemur. Quam ex scriptura [g] *domum Dei viuentis, columnam & firmamentum veritatis*, [h] dubiorum interpretem, [i] controuersiarum iudicem esse didicimus? Quam Christus [k] *super Petrum ædificaturũ se* dixit? Quam [l] Sancti Patres, oecumenica concilia, sacri Canones in Præsulatu Romani Pontificis, tanquam Principis Episcoporum perpetua stabilitate cohę-

* I Caluinia refutatio.

c Augustin. de Util. credend. cap. 7.

f Symb. Apost. Nicæ. Constant. Eph. & Chalcedon.

g 1. Tim. 3. 15.

h Deut. 17. 8. & seq.

i Matth. 18. 17.

k Matth. 16. 18. 19.

l Cypr. de Vnit. Eccl. cæ. 3. & Epist. ad Quirin.

rere

rere testantur. Certè parum ad mentem tuam antiquissimus Martyr, purissimusq; Apostolorum discipulus IGNATIVS:[m] *Ignatius* inquit, *qui & Theophorus, misericordiæ consecutæ in magnificentia altissimi Dei & salvatoris nostri, quæ præsidet in loco* ROMANÆ *regionis, Deo digna, decentissima, beatificanda, laudanda, digna qua quis potiatur, castissima, & eximiæ Charitatis Christi & Patris nomen ferens spiritu plena*, &c. Parum etiam IRENÆVS, *Polycarpi & Papiæ* discipulorum *Iohannis* discipulus.[n] *Ad hanc* inquit (ROMANAM) *Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam: hoc est eos qui sunt undiq; fideles. In qua semper ab his qui sunt undiq; conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio.* Parum CYPRIANVS, qui Romanam Ecclesiam[o] *matricem & radicem omnium Ecclesiarum* pronunciauit, *ad quam perfidia non possit habere accessum.* Parum denique HIERONYMVS, qui[p] *non Vitali, non Meletio, non Paulino, sed Cathedræ Petri communione consociari* volebat: quod *super illam Petram ædificatam Ecclesiam sciret*, quodq; *extra hanc domum agnum comedens, profanus & sacrilegus esset, Antichristi non Christi membrum.*

*Paulin. Epist. 4. ad Sever.*
*Chrysost homil. 4. in c. 6. Isa.*
*Augustin. serm. 15. de Sanct.*
*m Ignat. Epist. ad Roman.*
*n Iren lib. 3. cap. 3.*
*o Cypr. Epi. 45 & lib. de Vnit. Eccles cap. 5.*
*p Hieron Epist 57. ad Damas.*

Sed de Patribus tacebo: de Concilijs itidem. Ad iura me vocat ille, *Charissimi*, Iura igitur videamus, & primum quidem Cano-

nes, iudices, profectò vobis (vt apparebit) parum æquos. Quid enim in ipso statim limine DECRETORVM? [q] *Nolite errare fratres mei charissimi.* (ait DISTINCTIO XI.) *doctrinis varijs, & extraneis nolite abduci. En Instituta Apostolorum, & Apostolicorum virorum, Canonesq; habetis: his fruimini, his circumdamini, his delectamini, his armamini; vt his freti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum iacula persistere valeatis. Satis enim indignum est, quemquam vel* PONTIFICVM, *vel ordinum subsequentium, hanc regulam refutare, quam beati* PETRI *Sedem & sequi videat, & docere. Multum enim conuenit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quæ inde authoritatem habet, vbi Dominus* ECCLESIÆ TOTIVS POSVIT PRINCIPATVM. Et paulò post. [r] *Quis nesciat, aut non aduertat, id* QVOD *à* PRINCIPE APOSTOLORVM PETRO ROMANÆ ECCLESIÆ *traditum est, ac nunc vsq; custoditur, ab omnibus debere seruari? Nec super induci, aut introduci aliquid, quod aut authoritatem non habeat; aut aliunde accipere videatur exemplum? Præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atq; Siciliam, Insulasq; interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus* PETRVS, *aut eius successores constituerunt sacerdotes: aut legant, si in istis prouin-*

[q] *Distinct. 11. c. 3. ex Epist. 1. Iulij Pap. ad Episc. Orient.*

[r] *Dist. 11. ex Epist. 1. Innocent. 1. ad Decem. Episc Eugubinum.*

*cijs*

cijs alius Apostolorum inuenitur, aut legitur docuisse. Quod si legunt, quia nusquam inuenitur, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia ROMANA custodit; à qua nos principium accepisse non dubium est: ne dum peregrinis sermonibus student, caput institutionum videantur omittere. Iterum DISTINCTIO XII. [s] Non decet inquit, à capite membra discedere: sed iuxta sacræ scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est, quod APOSTOLICA ECCLESIA MATER EST OMNIVM ECCLESIARVM, à cuius vos regulis nullatenus conuenit deuiare. Et sicut Dei filius venit facere voluntatem patris, sic & vos voluntatem vestræ impleatis matris, quæ est Ecclesia: CVIVS CAPVT vt prædictum est, ROMANA EXISTIT ECCLESIA. Quidquid ergo sine discretione iustitiæ contra huius disciplinam actum fuerit, ratum haberi ratio nulla permittit.

[s] Dist. 12. c. 1 ex Epist. 1. Calixti I. ap. 1. ad Benedict. Epis.

Sed quid ago Charissimi? Egone vobiscum Canonibus pugno? quos [t] alij vestrum capitali iudicio ad rogum damnarunt: [v] alij ridiculè inter clauas Antichristi numeratos, non magis se lædere posse arbitrãtur, quam gladius Aeneæ potuit

[x] Obscenas Pelagi ferro fœdare volucres,
Quæ neq; vim plumis vllam nec vulnera tergo
Accipiunt, celeriq; fuga sub sidera lapsæ
Semesam prædam, & vestigia fœda relinquunt.

[t] Lutherus Wittenb. ad Portam Elster. Vide Pseudotub. meum Wit. uFranc. Iunius comm. in Apocal. [x] Virg. 3. Aenead.

Mutatis igitur telis humana iura videamus, quæ [y] *Augustino* teste *in legibus Regum & Imperatorum posita sunt*. Hic verò in manibus præsens victoria, vt ego quidem eundem hæreticum & iureconsultum bonum credere ægerrime possim. Nam quod medici dicere solent, obliuisci Medicum professionis suæ, qui humanitatis obliuiscatur: id ego longè rectius de Iureconsulto censeam, obliuisci *Iustiniani* sui, qui Romanæ Ecclesiæ obliuiscatur. Tot enim ac tam euidentes passim in *Codice* atque *Authentico* pro SS. Romana Ecclesia, proque omni eius fide atque œconomia constitutiones extãt: vt iampridem eruditus vir IOAN. BAPTISTA FICKLERVS integro super hoc argumento [z] libro concinnato plurimis legum exemplis reddiderit manifestum, non Sanctorum tantum Patrum & Conciliorum, non Sacrorum tantum Canonum scita & decreta, sed & ipsas Ciuiles Imperatorum leges in hanc Catholicam & Apostolicam Romanã fidem [a] vno Spiritu & pari, quod aiunt voce, [b] quasi *Doricè* cõcinere. Exemplo esse poterant Sanctissimæ [c] super sacrificio Missæ constitutiones. *Authent. vt in priuat. domib. sacra mysteria non fiant. 5. 13. 58.* Et *Authent. Sed nouo Iure. C. de Episc. & Cleric.* Et *Authent. vt clerici qui recedunt alijs pro eis subrogat. præb. emol. &c. 5. 12. 57.* Et *Authent. de ordinat.*

y *Augustin. tract. 6. ad c. 1. Ioan. Distinct. 8. c. 1.*

IVRECONSVLTVS BONVS HAERETICVS ESSE NON POTEST.

z *Tit. THEOLOGIA IVRIDICA*

a *Lactant. lib. 2. cap. 9.*
b *Plato in Lachet.*
c *De sacrificio Missæ.*

ordinat. Episc. & Cleric. 9. 20. 137. Item[d] CONSTITVTIO de Ecclesiæ Catholicæ templis & oratorijs: Vbi primum de Iure Ecclesiæ & pœna violatorũ. *L. Iubemus. C. de Sacros. Eccles.* Et *L. si quis in hoc. C. de Sacros. Eceles.* Deinde de Fundatione Ecclesiarũ, eiusq; causa & expensis. *L. 41. (quæ in nonnullis Codicibus 43. est, & in recentioribus ponitur in lib. prætermiss. Class. 1.) C. de Episc. & Cleric.* Et *Proœm. Authent. vt determinatus sit numer. Cleric. §. Inuestigantes.* Et *Authent. vt nullus fabricet oratory domos, præter voluntatem Episcopi. 5. 22. 67.* Et *Authent. de non alienand. aut permutand. rebus Eccles. 2. 1. 7.* Et *L. 20. C. de hæret. & Manich.* Tertio de Ecclesijs nulla molestia sed honore afficiendis, & hæreticorum vsui minimè concedendis. *L. denunciamus. C. de his qui ad Ecclesias confug.* Et *L. 1. C. de offic. Præfect. Prætor. Africæ.* Et *L. si qui Orthodoxæ. C. de hæret. & Manich.* Et *L. 3. §. arma quoq; C. de his qui ad Eccles. confug.* Et *Authent. vt liceat matri & auiæ &c. §. quia verò ita 8. 18. 117.* Quarto de Asylis Ecclesiarum. *L. 3. C. de his qui ad Eccles. confug.* Item [e] CONSTITVTIO de Episcopatus dignitate: vbi primum de Electione Episcopi & consecratione. *L. si quenquam C. de Episc. & Cleric.* Et *Authent. quomodo oporteat Episcopos & reliq. Cleric. ad ordinationem adduci. 1. 6. 6.* Et *Authent. de Sanctiss. Episcop. & Deo amabilibus*

*d De Eccles. Cathol. templ. & oratoriis.*

*e III. De Episcopali dignitate & officio.*

*bus & reuerendissimis Clericis & Monachis 9. 6. 123.* Et *Authent. de ordinat. Episcop. & Cleric. 9. 20. 137.* Deinde de Cathedra seu residentia Episcopi. *Authent. vt nullus fabricet orator. domos, præter volunt. Episc. 5. 22. 67.* Et *Authent. quomodo oporteat Episcopos & reliquos Cleric. ad ordinat. adduci. 1. 6. 6.* Et *Authent. de Sanctiss. Episcop. & Deo Amabil. & reuerendiss. Cleric. & Monach. 9. 6. 123.* Tertio de Episcoporum cœlibatu. *Authent. Episcopo C. de Episcop. & Cleric.* & *L. si quenquam. C. de Episc. & Cleric,* & *Authent. quomodo oporteat Episc. & Cleric. ad ordinat. adduci. 1. 6. 6. §. & neq; vxori. cum §. seq.* Et *Authent. de Sanctiss. Episc &c. §. sancimus, & §. presbyteris 9. 6. 123.* Item [f] CONSTITVTIO de communi Clericorum statu, votoque cœlibatus seu castitate ab eisdem obseruanda. Vbi primũ de personis ad munus Ecclesiasticum deligendis. *L. 41. C. quæ aliâs in lib. Prætermiss. C. class. 1. recensetur) C. de Episcop. & Cleric.* Et *Constitut. 115. §. sancimus apud. Iulian. Patric.* Deinde de Constantia religionis & sacerdotij. *L. quicquis emensis C. de Episcop. & Cleric.* Et *Authent. quomodo oport. Episcop. §. semel autem 1. 6. 6.* Et *Authent. sed neq;. C. de Episc. & Cleric.* Et *L. final C. de Apostat.* Tertio de frequentia & multitudine clericorum apud veteres etiam Christianos. *Authent. vt determinat, sit numer. Cleric. Sanctiss.*

*f IV. De Clericorum voto ac cœlibatu.*

*Eccles. maioris Eccles. §. quapropter sancimus 1. 3.3.* Et *Nouell. constitut. 5. apud Iulian. Patric. § non liceat.* Quarto de priuilegijs & immunitate Cleri. *L. generaliter. C. de Episcop. & Cleric.* Quinto de voto, cœlibatu & castitate Clericorum. *Authent. quomodo oport. Episcop. & Cleric. §. hæc autem 1. 6. 6.* Et *Authen. de Ienonibus 3. 1. 14.* Et *Authent. Episcopo C. de Episc. & Cleric.* Et *L. 41. (aliâs in lib praetermiss. C. class 1.) C. de Episcop. & Cleric. §. conuenit.* Et *Authent. de Sanctiss. Episc. &c. §. presbyteris. 9. 6. 123.* Et *L. eum qui C. de Episc. & Cleric.* Et *Authent. multò magis. C. de Episc. & Cleric.* Et *L. si Presbyter. C. de Episcop. & Cleric.* & *Authent. de Monach. §. si quis autem. 1. 5. 5.* Et *Authent. de Sanctiss. Episcop. &c. §. si autem tempore.* Et *§. Presbyteris 9. 6. 123.* Et *Authent. de ordinat. Episcop. & Cleric. §. quod autem 9. 20. 137.* Item[g] CONSTITVTIO de vita monastica, & continentia in monasterijs seruanda. *Authent. de Monachis. 1. 5. 5.* Et *Authent. de non alienandis aut permutand. bonis Eccles. §. quia verò non cognouimus 2. 1. 7.* Et *Authent. de Sanctiss. Episcop &c. §. iubemus cum §§. seqq. 9. 6. 123.* Vbi etiam de foro conuenienti Monachorum. *Authent. apud quos oport. causam dicere Monachos & Ascetrias. 6. 8. 79.* Deinde de raptu seu corruptione sacrarum virginum. *L. si quis 1. C. de Episcop. & Cleric.* Et *L. Raptores. C. eodem.*

[g] *V. De Monachis & Monialib.*

Et *Authent. quomodo oport. Episcop. & Cleric. §. quanta igitur. 1. 6. 6.* Et *Authent. de Sanctiss. Episcop. §. si quis rapuerit. 9. 6. 123.* Item [h] CONSTITVTIO de Sanctorum Patrum traditione & doctrina constantissimè obseruanda. *L. 5. C. de Summa Trinit. & fide Catholica.* Et *L. 6. C. eodem §. necessarium.* Et *Authent. quomodo oport. Episcop. & Cleric. &c. circa initium. & §. sed etiam 1 66.* Et *Authent. vt Cleri. apud proprios Episcop. prim. conueniantur. 6. 12. 83.* Et *Authent. de Ecclesiastic. tit. & priuileg. circa initium. 9. 13. 131.* Item [i] CONSTITVTIO de Sacrorum Conciliorum immota fide & authoritate. *L. 2. & L. nemo Cleric. C. de summa Trinit. & fide Catholica.* Et *Edict. ad popul. Constantinopol. quod per Demetrium & Hypatium Episcopos ad Ioan. II Pontif. Roman. tranmisit. §. Trecenti. & §. quoniam autem.* Et *L. quicunq;, C. de hæret. & Manich.* Et *Authent. vt cum de appellatione cognoscitur, secundum illas leges debeat iudicari, quæ tempore latæ sententiæ & suggestionis obtinebant § si quis de prædictis 8. 16. 115.* Et *Authent. de Ecclesiasticis tit. & priuileg. §. sancimus. 9. 14. 131.* Item [k] CONSTITVTIO de pœnitentiæ Sacramento & Confessione. *Edict. ad Constantinopol. de his qui luxuriantur contra natur. 9. 23. 141.* Et *L. Hi qui sanctam. C. de Apostat.* Et *Authent. vt non luxurientur homines contra natur. nec iurent per capillos Dei*

*h VI. De Traditionibus Patrum obseruand.*

*i VII. De authoritate Conciliorũ.*

*k VIII. De Pœniten. & confessione.*

Dei 6.6.77. Item [l] CONSTITVTIO de Sanctorum cultu & inuocatione Deiparæ Virginis Mariæ. *Authent. Iuiurandum quod præstatur ab his, qui administrationes accipiunt. Collat. 2. tit. 3.* Et *L. 6. C. de Summa Trinit. & fide Catholica.* Et *Authent. vt determinatus sit numer. Cleric. &c. §. sancimus 1. 3. 3.* Et *Authent. de Ecclesiasticis tit. & priuile. 9. 14. 131.* Et *L. 1. C. de offic. Prafecti Prætor. Africæ.* Item [m] CONSTITVTIO de Sanctorum reliquiis venerandis. *L. 3. C. de Sacrosanct. Eccles.* Et *L. decernimus C. de Episcop. & Cleric.* Item [n] CONSTITVTIO de Sanctæ crucis veneratione, inuentione & authoritate. *L. cum sit nobis. C. nemini licere signum Saluatoris Christi, humi vel in silice, vel in marmore aut insculpere, aut pingere.* Et *L. Iudæos C. de Iudæis & cœlicolis.* Et *Authent. sed nouo iure. C. de Episcop. & Cleric.* Et *L. decernimus C. eodem.* Et *Authent. de Sanctiss. Episc. &c. §. omnibus autem laicis, 9. 6. 123.* Quod ipsum Sanctæ Crucis signum in consecratione quoque templorum adesse voluit Imperator. *Authent. de Monach. §. illud igitur. 1. 5. 5.* Et *Authent. vt nullus fabricet orator. domos &c. §. primo. 5. 22. 67.* Et *Authent. de Ecclesiasticis tit. & priuileg. §. si quis autem. 9. 14. 131.* Et *Authent. de moderatore Hellenoponti. §. Namque ab omnibus. 4. 7. 28.* Vbi Helena Constantini Magni mater, pientissima mulier,

[l] *IIX. De cultu & Inuocat. Sanctorum.*

[m] *X. De Reliquiis Sanctorum.*

[n] *XI. De S. Cruce & venerauda.*

lier, nobis sacrum Christianorum signum inuenisse dicitur. Iteꝰ CONSTITVTIO de festorum dierum obseruatione. *L. nemo deinceps C. de Episc. audientia.* Et *L. 2. & l. omnes Iudices. & L. quadraginta* Et *l. omnes dies* Et *l. actus omnes.* Et *l. pronunciarum.* Et *L. final. C. de feriis.* Item ᵖ CONSTITVTIO de bonorum operum meritis & Iustificatione. *Authent. de Sanctiss. Episcop. & c. §. sed neque 9. 6. 123.* Et *Authent. vt cum de appellat. cognoscitur, secundum illas leges iudicetur, que tempore late sententiæ obtinebant. §. Si vnum. 8. 16. 115.* Et *l. 41. C. de Episc. & Cleric.* Et *Authent. vt determinat. sit numer. clericorum. §. Sicut enim. 1. 3. 3.* Item ᵠ CONSTITVTIO de publicis precib. seu litaniis & horis Canonicis, nec non de publicis processionibus seu supplicationnib. *l. 41. §. Præterea sancimus C. de Episcop. & Cleric.* Et *Authent. de Ordinat. Episcop. & Cleric. § Illud quoq; 9. 20. 137.* Et *Authent. Sed nouo iure. C. de Episco. & cleric.* Et *Authent. de Sanctiss. Episcop. & c. §. Si quis cum sacra.* Et *§. Omnibus autem laicis. 9. 6. 123.* Item ʳ CONSTITVTIO de Sanctiss. Quadragesimæ Ieiunio *l. quadraginta.* Et *l. penult. C. de Feriis.* Deniq; vt multa alia huius generis præteream, ˢ CONSTITVTIO de rebellibus in Catholicam Romanam Ecclesiam Hæreticis non solum vitandis, sed & proscribendis, & damnandis, atque vlti-

*o XII. De Festis Sanctorum.*

*p XIII. De meritis Bonorum operum, deq; Iustificat.*

*q XIV. De Litaniis, Processionib. & horis Canonicis.*

*r XV. De ieiunio Quadragesima.*

*s XVI. De pœnis in hæreticos latis.*

mo supplicio afficiendis. Cuius argumenti est *L. 2. & 6. C. de Summa Trinit. & fide Catholica.* Et *L. omnes vetita.* Et *L. Ariani.* Et *L. quicunq;* Et *L. damnato. C. de Hæret. & Manich.* Et *Authent. de depositione Anthimi & Seueri. 4. 21. 42.* Multo verò expressius *L. Manich. 4.* Et *L. cognouimus 19. C. de Hæret. & Manich.* Et *L. eum. qui C. de Apostat.* Et *L. Nemo Clericus C. de Summa Trinit. & fide Catholica.* Item *l. 3. & 5. & 6. C. eodem.* Et *l. final. §. His ita dispositis C. de Episc. & Cleric.* Et *l. Nemo in foro C. de Episcopali audientia.* Et *l. 1. C. de Hæret. & Manich.* Et *Authent. item priuilegium.* Et *Authent. credentes.* Et *Authent. si verò Dominus.* Et *l. Ariani.* Et *l. quicunq;* Et *l. cognouimus.* Et *l. quoniam.* Et *l. diuinam. C. de Hæret. & Manich.* Item cæteræ ferè omnes eiusdem tituli leges & Authenticæ. Quibus multa etiam ex ipsis *Nouellarum Collationibus* adijcere liceret: Vt & de prohibitis hæreticorum scriptis, de interdictis conciliabulis, atque alijs huius generis rebus complurimis: nisi breuitati studendum viderem.

Hæc igitur vt dixi, atq; alia his complura, luculentissimo nobis exemplo atque argumento esse poterant, firmissimi istius omnis diuini & humani iuris, ad quod me vocat PAREVS, in vnam Catholicam & Romanam fidem consensus: præsertim si singularum legum

legum aut Constitutionum grauissima verba ordine ad lancem appensa oculis subijcerẽtur. Sed quia id nimis longũ ac tædiosum foret: imo quia tam vbere stylo librum potius quam Epistolam exaraturi essemus: age prætermissis ambagibus illis, vnicum illud caput (quod instar omnium est) [t] *de Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ authoritate, deque perfidia eorum, qui ab eius cõmunione desciscunt*, videamus. Hoc enim rectè constituto, nulli dubium esse potest, eius Ecclesiæ magisterio antiquissimorum Imperatorum fidem fuisse consonam, quam prę omnibus venerati, summis & priuilegijs cinxerunt, & laudibus in cœlum vsque extulerunt. De hoc autem capite ita Gratianus, Valentinianus & Theodosius Imppp. l. 1. C. de Sũma Trinit. & fide Catholica, &c. *Cunctos* inquiunt, *populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam Diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem* Damasum *sequi claret. Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos verò dementes, vesanosq; iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere, diuina primum vindictâ, post etiam motus animi nostri, quem ex cœlesti arbitrio sumpserimꝰ, vltione plectendos.* Et Iustinianus Imp. in Epistola ad

[t] XVII. De Primatu & auctor. Rom. Ecclesiæ.

la ad Ioan. Papam II. quæ vna cum eiusdem Pontificis responsione inter leges Codicis sub tit. de Summa Trinit. & fide Cathol. ab ipsomet Iustiniano relata est. *Reddentes* inquit, *honorem* APOSTOLICÆ SEDI *& Vestræ Sanctitati (quod semper nobis in voto & fuit & est) & vt decet patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent,* [v] *festinauimus ad notitiam deferre Vestræ Sanctitatis: quoniam semper nobis fuit magnum studium vnitatem vestræ Apostolicæ sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoq; omnes Sacerdotes vniuersi Orientalis tractus & subijcere & vnire Sedi Vestræ Sanctitatis properauimus. In præsenti ergo quæ commota sunt (quamuis manifesta & indubitata sint, & secundum* APOSTOLICÆ VESTRÆ SEDIS *doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firmè custodita & prædicata) necessarium duximus, vt ad notitiã Vestræ Sanctitatis perueniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatum sit, quod mouetur, vt non etiam Vestræ innotescat Sanctitati,* [x] QVÆ CAPVT EST OMNIVM SANCTARVM ECCLESIARVM. *Per omnia enim (vt dictum est) properamus honorem & authoritatem crescere Vestræ Sedis, &c.*

[v] *Pontifex d. statu Ecclesiarum certiorem deducendum.*

[x] *Romana Ecclesia caput omnium Ecclesiarum.*

Huic

Huic Epistolæ Imperatoriæ in hæc verba Pontifex rescripsit, quæ ipsa quoq; inter leges Cod. subeodem 1. Tit. relata habẽtur: *Inter claras sapientiæ ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime Principum, puriore luce, tanquam aliquod sydus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis studio, edocti Ecclesiasticis disciplinis, Romanæ Sedis reuerentiam conseruatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius auctorem, hoc est, Apostolorum primum Domino loquente præceptum est,* [y] *pasce oues meas.* [z] *Quam esse omnium verè Ecclesiarũ caput, & Patrum regulæ, & principum statuta declarant, & pietatis vestræ reuerendissimi testantur affatus.*

y Ioan. 21. 17.

z Rom. caput.

Iterum Iustinianus Imp. in Edicto ad populum Constantinopolitanum, quod ad Ioan. Pontif. Rom. II. misit circa fin. §. super hæc autem omnia. *Dioscorus, qui cum nihil in fidem peccasset, tamen propter solum Ecclesiasticum ordinem à sancta Ecclesia Romana anathematizatus est.* Et in principio Authent. vt Eccclesia Rom. cent. ann. gaudeat præscript. 2. 4. 9. *Vt legum Originem anterior Roma sortita est: ita & summi Pontificatus apicem apud eam esse, nemo est, qui dubitet. Vnde & nos necessarium duximus, patriam legum, fontem sacerdotij, specialinostri numinis lege illustrare, vt ex hac in vniuersas Ecclesias Catholicas, quæ vsq; ad Oceanum positæ sunt,*

*sunt, saluberrimæ legis vigor extendatur, & sit totius Occidentis nec non & Orientis, &c. lex propria ad honorem Dei consecrata.* Et ibidem. § quodigitur. *Quod igitur nostra æternitas ad omnipotentis Dei honorẽ venerandæ sedis summi Apostoli Petri dedicauit: hoc habeant omnes terræ, omnes Insulæ totius Occidẽtis, quæ vsq; ad ipsius oceani recessus extendũtur, nostri Imperij prouidentiam per hoc in æternum.* Idem in Authent. de Eccles. tit. & priuileg. 9. 14. 131: *Sacrorum Conciliorum dogmata, sicuti sanctas scripturas, accipimus: ideoque sancimus, secundum earum definitiones, sanctissimum senioris Romæ Papam, primum esse omnium sacerdotum. Beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos nouæ Romæ, secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ sedem.* Et in Authent. de depositione Anthimi & Seueri 14. 21. 42. *Quid nuper factum sit circa Anthimum, scimus, qui quidem deiectus est de Sede huius regiæ vrbis (Constantinopolis) à sanctæ & gloriosæ memoriæ Agapeto, sanctissimæ Ecclesiæ antiquæ Romæ Pontifice, eò quod nullo modo sibi ipsi conueniens, contra omnes sacros canones se intruserat, &c.* Et in constitut. Nouell. CXIX. §. 2. apud Iulium Patricium, Antecessorem Constantinopolitanum. *Papa Romanus prior omnibus Episcopis & Patriarchis sedeat.* Denique idem Iustinianus Imp. ad

Eu-

Eulalium Episcopum & Eccles. Carthaginensem. *Prima salus rectæ fidei regulam custodire, & à constitutis Patrum nullatenus deuiare, & quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia, dicentis:* [a] *tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata religio. De qua spe & fide minimè separari cupientes, & Patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes, qui contra Sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam superbiendo, suas erigunt ceruices, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & prædicantes eius omnia, spero vt in vna communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra & vera Christianæ religionis & perfecta soliditas, promittens sequestratos à communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quod si in aliquo à professione mea deuiare tentauero, his quos damnaui, duplicem meæ sententia esse profiteor. Hanc professionem meam manu mea subscripsi, & Bonifacio Sancto & venerabili Papæ vrbis Romæ direxi, damnans & antecessores & successores meos, & omnes, qui Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ priuilegia cassare nituntur. Hinc enim*

[a] Matth. 16 18.

N. B.

*super-*

*superne misericordiæ documentum perdocetur, quando & mundani principes causas fidei cum Reipub. ordinatione coniungunt, & Ecclesiarum præsules, quod ad dispensationem suam pertinet, officij memores exequuntur. Talibus enim indigebat post discordiæ procellas religio Christiana rectoribus, qui compressis prouida dispensatione turbinibus, diu peregrinatam pacem depulsa tempestate reducerent, vt in futura post secula ad propositi sui exempla tendentes, sibi ascribendum indubitanter ostenderent, quicquid Domino placitum posteris pro sua imitatione fecissent. Benedicamus Dominum, fratres charissimi, nostris hoc diebus fuisse concessum, & totis orationum & curarũ viribus adnittamur, vt quæ Dei ope benè cœpta sunt, ipso adiuuante per omnia compleantur. Sperandum enim est, vt ad compagem corporis sui reliqua, quæ adhuc diuisa sunt, membra festinent, & a potioribus minora non discrepent.*

Audin' PAREE (tibi.n. cantilenã hãc cano) audin' quid diuini & humani Iuris mystæ de Romanæ Ecclesiæ fide & communione sentiant? Audin' quàm prouidè ad hoc me tribunal vocaris? Non sic [b] *Marius* suo telo perijt, vt ego hic *tuo te iugulare gladio* possum. Tu enim ille diuini & humani Iuris perduellis, qui non solum nouam & ab Apostolica sede alieniſſimam fidem

*b Trebell. Pollio.*

mordicus amplecteris & tueris: sed & quod peius est, idem nouitatis tuæ virus multis simplicibus atq; imperitis adolescentibus, [c] qui quid optimum sit, per ætatem iudicare nondum possunt, non inhalas tantum aut instillas, sed & infundis prope atque intrudis. Vt si è sacris te percellere cogitarem, promptum esset illud Christi fulmen. [d] *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. Væ vobis duces cæci,* &c. Sed legum nunc aduersus te mucrone destringere malo, vt qui ad leges prouocasti, legum authoritate cadas: quemadmodum [e] *Brasidas* ille *in prælio iaculum sibi per scutum adactum è vulnere extraxit, eoq; ipso hostem suum interfecit.* Credas igitur mihi velim *Paree*, non esse in vllum fermè crimen seueriora aut asperiora iura, quàm in hæresin. Quod vt in re præsenti videas, en tibi è quàm plurimis duas, quæ mihi nunc incidunt, potissimas Constitutiones, reliquarũ sui similiũ abundantissimas testes. [f] Vna est in *l. 4. C. de hære. & Manic.* Vbi Arcadius, Honorius, & Theodosius Imppp. *Manichæos* inquiunt, *seu Manichæas, vel Donatistas meritissima seueritate persequimur. Huic itaq; hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus cõmune sit cum cæteris. Ac primum volu-*

c Cicer. 4. Acad.

d Matth. 23 15.

e Plutarch. in apoph.

f De pœnis hæreticorũ constitutiones.

*volumus esse publicum crimen. Quia quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam. Quos bonorum etiam omnium publicatione persequimur. Ipsos quoq; volumus amoueri ab omni liberalitate & successione, quolibet titulo veniente. Præterea non donandi, non emendi, non vendendi, non postremo contrahendi, cuiquam conuicto relinquimus facultatem. In mortem quoq; inquisitio extendatur. Nam si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non immerito & hic debet subire tale iudicium. Ergò & suprema illius scriptura irrita sit, siue testamento, siue codicillo, siue Epistola, siue quolibet alio genere reliquerit voluntatem, qui Manichæus fuisse conuincitur, sed nec filios hæredes eis existere, aut adire permittimus, nisi à paterna prauitate discesserint. Delicti enim veniam pœnitentibus damus. In eos etiam auctoritatis nostræ aculei dirigantur, qui eos domibus suis damnanda prouisione defendunt. Seruos insuper extra noxam esse volumus, si Dominum sacrilegum euitantes, ad Ecclesiam Catholicam seruitio fideliore transierint.*

Altera constitutio est in *l. 8. C. eodem tit.* vbi Valentinianus & Marcianus Impp. sic decernunt. *Vniuersi hæretici non Ecclesias, non Monasteria sibi construant: parasynaxes & conuenticula, tam diurna quàm nocturna non contrahant: neq; ad domum, vel possessiones*

nes cuiusquam, neque ad Monasterium, vel quemcunq; alterum locum operaturi, sectæ funestissimæ congregentur. Quod si fecerint, & hoc factum fuisse Domino volente constiterit, post rem in examine iudicis approbatam, domum vel possessionem eius, in qua conuenerint, vel monasterium, eius ciuitatis orthodoxæ Ecclesiæ, in cuius territorio est, iubemus addici. Si vero ignorante Domino, sciente verò eo, qui pensiones domus exigit, vel actore vel conductore prædij parasynaxes & conuenticula interdicta collegerint, conductor vel procurator, siue actor, vel quicunq; eos in domum, vel possessionem, vel monasterium receperint, ac passi fuerint illicitas parasynaxes conuentusq; celebrari: si vilis & abiectæ sint conditionis, fustibus publicè & in pœnam suam, & in aliorum coerceantur exemplum. Si honestæ verò sint personæ, decem libras auri mulctæ nomine fisco nostro cogantur inferre. Nullum præterea Apollinaristam vel Eutychianistam ad aliquã iubemus aspirare militiam. Et si inuenti fuerint militari cingulo soluti, honestorum hominum & palatij communione priuentur: nec in aliqua, nec in qua nati sunt, ciuitate vel vico, aut regione versentur. Si qui verò in hac alma vrbe nati sunt, tam sacratissimo comitatu, quam omni per prouincias metropolitana ciuitate pellantur. Nulli insuper Eutychianistæ, vel Apollinaristæ publicè vel priuatim cõuoca-

uocãdi cætus, vel circulos contrahẽdi, & de errore hæretico disputãdi, ac peruersitatẽ facinorosi dogmatis adserẽdi, tribuatur facultas. Nulli contra venerabilem Chalcedonensem Synodum liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere, atq; emittere, aut aliorum dicta vel scripta super eadem re proferre. Nemo huiusmodi habere libros, & sacrilega scriptorum audeat monumenta seruare. Quod si qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnentur. Eos verò, qui discendi studio adierint, de infausta hæresi disputantes, decem librarum auri, quæ fisco nostro inferendæ sunt, iubemus subire dispendium. Vltimo etiam supplicio coërceantur, qui illicita docere tentauerint. Omnes verò huiusmodi chartæ ac libri, qui funestum Eutychetis scilicet, & Apollinarij complexi fuerint dogma, incendio concrementur, vt facinorosæ peruersitatis vestigia flammis combusta depereant. Aequum namq; est, vt immanissima sacrilegia par pœnæ magnitudo percellat: scientibus moderatoribus prouinciarum, eorumq; apparitoribus, defensoribus etiam ciuitatum, quòd si ea quæ legis huius religiosissima sanctione custodienda decernimus, aut neglexerint, aut aliqua permiserint temeritate violari: denarum librarum auri mulctam fisco nostro inferre cogantur: insuper etiam existimationis suæ periculum sustinebunt.

Heu heu Paree, quos tibi, quos tuis pœ-
narum cumulos accersis! Non sic *Aetna*
*Enceladus*, vt tu mole hac premeris, modo
non brutam illam Stoicorum ἀναισθησίαν
indueris. Nec blandiare tibi, priscorum tã-
tum illorum monstrorum, *Manichæi, Ne-
storij, Eutychis, Apollinaris*, &c. mentioné
in hisce sanctionibus fieri, nullam *Caluini,
Lutheri*, aut tui. *Quæ de Samaritis lege sta-
tuta sunt, circa Synagogas & successiones: ob-
tinent & in Montanistis, & Ascodrogitis, &
Ophitis*, ait l. 18. C. de hæret. & Manich. Et
*Hæreticis quamuis est in appellatione diuersi-
tas, tamen est in hæresis prauitate coniunctio,
& dispar quidem nomen, sed idem sacrilegi-
um*, ait l. 8. C. eodem. *Hæreticorum autem
vocabulo continentur, & latis aduersus eos
sanctionibus succumbere debent*, QVI VEL LE-
VI ARGVMENTO A IVDICIO CATHOLICÆ
RELIGIONIS ET TRAMITE DETECTI FVE-
RINT DEVIARE, ait l. 2. C. eodem tit. Quod
vtrum tu facias *Paree*, non est nunc dispu-
tandum: adeò quippe manifestum, vt non
ratione inquiri, sed manibus palpari possit.
Deniq; si recentia Edicta postulas, vide quę
laudatissimus Imperator CAROLVS V.
*Wormatiæ* in comitijs 8. Idus Maij M. D.
XXI. aduersus *Lutherum* eiusq; coniuratos
seuerissima sanctione promulgauit: habe-
bis quæ culpæ tuæ pondus, innocẽtiæ meæ
leua-

g *Virgil. 3. Aeneid.*

leuamen afferre queant. Atq; hæc de primo accusationis tuę capite plus forsan satis.

*II. Calumniæ confutatio.

Ad * ALTERVM venio, vbi fidem & conscientiam meam petens, obliquè innuere vis, (quæ certè vobis in omnes Catholicæ fidei proselytos, veteres & nouos, familiarissima calumnia est) non tam veritate & religione, quàm lucri aut honoris, aut gloriæ cupiditate, etiam contra interioris pectoris dictamen, ad Romanæ Ecclesiæ societatem me conuolasse: parumq; abest, quin Satyrici illius telum in me contorqueas:

[h] *Quid sentire putas omnes Caluine recēti*
*De scelere, & fidei violatæ crimine?*

h Iuuenal. Satyr. 13. ad Caluin.

Sed ego tibi hic Augustinianum statim clypeum obuerto, quo & ipse quondam simile *Secundini Manichei* iaculum populsauit. [i] *Tristis* inquit, *sum, quod tenaciter inhæsisti suspicionibus falsis, partim aduersus me, partim aduersus ipsam quæ mutari nō potest veritatem.* Vsquam ne fides est, quæ non [k] *animæ immortalitatem* propositam habeat & vel præmia bonorum, vel pœnas malorum factorum? Potest ne igitur quisquam conscientiæ meæ tam iniquus arbiter esse, vt quam hactenus in Caluiniano errore integram saluamq; iudicauit, nunc in Christi fide læsam [l] *cauteriatamque* pronunciare audeat? Non non ita impio corde sumus, vt Dei omnipotentis metum tam viliter habeamus, & contra quam mens se-

i Augustin. contr. Secundin. Manich c. 1.

k August. de Vtil credend. ca. 7.

l 1. Tim. 4. 2.

m Ezech. 13.19.

rió credat, *propter*[m] *pugillum hordei & fragmen panis*, cum huius & futuræ vitæ periculo, patrio solo exules profiteamur. Nemo cyclops positum in visceribus suis Dei tribunal tam fastuosè euerterit. Fortasse rudera illi sua nesciunt, qui in alieno fundo tam altas turres non suspicantur. Ac nos quidem iam inde à pueris edocti,[n] *magnam vim habere conscientiam in vtramq; partem, vt semper pœnam ante oculos versari putent, qui peccauerint: & nihil timeant, qui nihil admiserint:* nos edocti, *non vt*[o] *in fabulis sæpenumero videmus, eos qui aliquid impiè sceleratèq; commiserint, agitari, & perterreri furiarum tædis ardentibus: sed sua quemq; fraude, suo terrore maximè vexari: suo quemq; scelere agitari, amentiaq; affici: suis malis cogitationibus conscientijsq; animi terreri: hasq; esse impijs assiduas domesticasq; furias, quæ dies noctesque pœnas à conscelleratissimis hominibus repetant:* Hæc inquam iam dudum piè sanctéque edocti, tam matura ac prouida ætate tantum in animam nostram facinus admittere: tam diro vulnere tenerrimam sauciare conscientiam voluisse, qui credi possumus? vix cadere posse in hominem puto tam grande nefas: vix ipsam suspicionem: nisi (quem supra memoraui) Sanctissimi *Augustini* me exemplum coargueret. Qui cum olim pari nobiscum exemplo *paucis a-*

n Cic. Orat. pro Milon.

o Cic. Orat. pro Rosc. Amerin.

*gellulis*

gellulis paternis contemptis, à Manichæorum rabie *ad liberam Dei seruitutem conuersus esset*, non solum principio à *Secundino Manichæo*, sed & postmodum ad Episcopale fastigium euectus, ab æmulis in hanc malignam ambitionis & φιλαρχίας suspicionem subinde vocatus est. [p] *Ego* inquit, *secundum multorum sensum, comparantium semetipsos sibimet ipsis, non diuitias dimisisse, sed ad diuitias videor venisse. Vix enim vigesima particula res mea paterna existimari potest, in comparatione prædiorum Ecclesiæ, quæ nunc vt Dominus existimor possidere.* Et manifestius in *libro contra Secundinum*, vbi & calumniæ remedium adferre docet. [q] *Sicut* inquit, *sensum oculi tui sentire non possum, nec tu mei sed tantummodo nobis hac de re credere vel non credere possumus: illam verò speciem, quæ nostris oculis visibilis subiacet, inuicem nobis valemus ostendere: sic de affectionibus animorum nostrorum, quas proprias habemus, credamus nobis, si placet: si autem non placet, non credamus. Nam* [r] *quod tu de animo meo verum non sentis, facilè contemno. Hoc enim sentis, quod etsi in me non agnosco, fieri tamen potest, vt sit in homine. Ergo etiamsi erras in me, non tamen ita erras, vt me de hominum numero eximat tua opinio: quia id de me credis, quod fieri potest in animo humano, etiamsi non sit factum in animo meo. Nec igitur opus est, vt*

p Epist. 225. ad Albinã.

q August. contr. Secundin. Manich. cap. 2.

r Ibid. ca. 1.

*tibi hanc suspicionem magnoperè coner auferre. Non enim spes tua pendet ex me, aut bonus esse non poteris, nisi ego fuero. Senti de Augustino quidquid libet. Sola me in oculis Dei conscientia non accusat. Quod enim ait Apostolus:* [5] *Mihi minimum est vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Ego autem vicem tibi non rependam, vt de tua mente aliquid existimare in malam partem audeam, quod intueri non valeo. Nec dico quod me subdole lacerare volueris: sed tantum de te opinor, quantum de te indicas verbis. Quamobrem etsi non bona de me suspicatus sis, quod carnali timore alicuius incommoditatis, quæ de vestra societate mihi accidere potuerit, hæresin Manichæorum reliquerim, vel cupiditate honoris, quem in Catholica adipisci cogitem: tamen non de te vicissim malè sentiēs, credo esse beneuolam suspicionem tuam. Et hoc non criminandi causa, sed corrigendi studio dixisse te existimo. Si autem mihi accommodes credendi beneuolentiam, quoniam latebras animi mei arguis, quas vtiq; promere ad oculos tuos & demonstrare non possum, facilè de ipso mutares sententiam, & nolles amplius temerè affirmare, quod nescis.*

2. Cor. 4. 3.

Atque hoc ego *Augustini* ἀπολόγημα plane meum quoq; faciēs, *Paree,* * ad tertiam criminationem tuam progredior: vbi quod *de honestate & humanitate erga liberos,* sanè dulcissimos mihi, totamque familiam abiecta

* III. Calumnia dispungitur.

abiecta paratragœdias, ſpecioſum quidem, ſed parum firmum aut chriſtianum eſt. Adeò enim παρρησίην illā καὶ εὐσχημονεςάτην σορρὴν nihil abieci, vt etiam abiectam reſumpſerim demum, & verè induerim, quēadmodum ipſe cognoſceres, [t] *niſi magis in oculis cor haberes, quam in corde.* Quæ enim maior honeſtas eſt, pietate & ordinaria charitate? quæ autem ordinaria charitas, niſi quæ minora poſtponit maioribus, & animam magis curat, quam fortunam? Non ego in morte relinquere debebam filios, quibus per me vitam ſeculi huius dederat Dominus, & vitam, quod ſpero, dabit ſeculi futuri. Quæ res etſi multo conſtat labore, non tamen à me trahi ad otium, nec à vobis debet ad inuidiam. Nullus hic humanis affectibus locus, nullus parentum amori, nullus amicorum ſtudijs, nullus periculorum formidini, ſed vnica diuini numinis reuerentia, grata veritatis cultura, conueniensq; æternitatis metus totam ſuo arbitrio cauſam moderatur, nec vel minimum de ſuo iure remittit.

[t] *Auguſt. lib. 1. contr. Epiſt. Parmen. cap. 8.*

Sanè ſi quæris inficias ire non poſſum, vehementer hæc conſilia mea varijs affectibus quaſſata eſſe. Nunc enim tua *chariſſime Parens*, ſeptuagenaria canities ſuccurrebat: nunc matris vnicè in me recumbentis

tis fletus, nunc fratrum sororumque anxietas, nunc liberorum & familiæ periculum, nunc amicorum totiusq; familiæ quasi labascens fama & existimatio. Sed quæso vos per Deum, carissima capita, quid facerem? parcerem ne vobis, & mihi non parcerem? parerem ne voluntatibus vestris, & Deo immorigerus essem? cauerem ne pericula fortunarum, & me cum liberis meis ac familia in sempiternum exitium præcipitarem? Apagesis profana cura, noxia reuerentia: cum Deo mihi res est, [v] *qui potestatem habet animam & corpus perdendi in gehennam.* Huic malo cum periculo & famę iactura seruiré, quàm glorioſus detrudi in infernum, [x] *vbi est fletus & stridor dentium* perpetuus. [y] *Pulchrum est periculum ad Deum transfugere.* Neque hunc animum impietati mihi aut leuitati dabitis, charissimi. CHRISTVS sic docuit discipulos. [z] *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* MOSES sic docuit Iudæos. [a] *Qui dixerit patri suo aut matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt, iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Israel.* CHRYSOSTOMVS sic docuit auditores. [b] *In omnibus obtemperandum est parentibus, præterquam in iis, quæ pietati officiunt. Et doctrina Saluatoris, qui amat patrem*

&c.

*v Matth. 10 28.*

*x Matth. 13 42.*

*y Clemens in Protrepticō.*

*z Matth. 10 37.*

*a Deut. 33. 9. 10.*

*b Homil. 36 in Matth.*

*&c. & credentes filios maioris animi facit, & patres remissiores ac leniores, ne ab amore* CHRISTI *liberos dimouerent, videntes tantas esse ipsius vires, vt facile possit à parentibus filios eripere.* HIERONYMVS sic docuit Heliodorum.[e] *Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet passo crine & scissis vestibus, vbera quibus te nutrierat mater, ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrē, siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.*

[e] Epist. 1.

Denique AVGVSTINVS sic docuit Lætum,[d] *Qui amat animam suam, perdet eam in isto seculo, in vita æterna inueniet: ita de parentibus rectissime dicitur, vt qui eos amat, perdat eos, non more parricidarum interficiens, sed spiritali gladio verbi* DEI *carnalem affectum eorum, quo & seipsos, & eos quos genuerunt, irritamentis huius seculi obligare conantur, piè fidenterque percutiens & occidens, illud in eis viuere faciat, quo fratres sunt, quo cum filiis suis temporalibus, parentes æternos* DEVM *Ecclesiamq; cognoscant. Ecce rapit te studium veritatis cognoscendæ, atq; percipiendæ voluntatis Dei in scripturis sacris. Rapit Euangelicæ prædicationis officium. Dat signum Dominus, vt vigilemus in castris, & ædificemus turrim de qua hostem sempiternæ vitæ & prospicere & propellere valeamus. Rapit militem* CHRISTI *tuba cælestis ad prælium, & retinet mater:*

[d] Epist. 38.

*Non*

e 2. Macca. 7 1.

f Plutarch. in libell. de Lacon. inst.

Non plane talis, [e] qualis Machabæorum fuit, nec saltem similis [f] Lacedæmoniis matribus, de quibus memoriæ traditum est, quod filios suos, vt pro terrena patria sanguinem funderent, multo amplius atque ardentius in certamina bellica, quàm signorum sonitus excitabant. Nam mater quæ te ad discendam vitam remoueri à curis secularibus non permittit, satis ostendit, quemadmodum te, si opus esset, ad obeundam mortem penitus seculum repudiare permitteret. Sed quid dicit, aut quid allegat? Fortè decẽ illos menses, quibus viscera eius onerasti, & dolores parturitionis, ac labores educationis? Hoc hoc interfice verbo salutari, hoc perde matris, vt in vitam æternam inuenias eam. Hoc memento vt oderis in ea, si diligis eam, si tyro Christi es, si turris fudamenta posuisti, ne dicant transeuntes: [g] hic homo capit ædificare & non potuit perficere. Carnalis enim affectus est iste, & adhuc veterem hominem sonat. Hunc carnalem affectum & in nobis & in nostris militia Christiana vt perimam° hortatur, nec tamen vt ingratus sit quisquam parentibus, & eadem ipsa beneficia quibus in vitam hanc editus, susceptus, atque nutritus est, enumerata derideat, seruet potius vbig; pietatem. Habent hæc locum, vbi maiora non vocãt. Mater Ecclesia, mater est matris tuæ. Hæc nos de Christo concepit, hæc martyrum sanguine parturiuit, hæc in sempiternam lucem peperit,

g Luc. 14. 30

*rit, hac fidei lacte nutriuit, ciborsqué maiores præparans, quod adhuc paruuli & sine dentibus vagire vultis, horresci.*

Iam de * vocatione mea non tam tædet respondere, quam admiror, in hanc me (ꝙ aiunt) planiciem vocari. Quis enim scelleratius vocationis suæ repagula perrupit, quam nefandi illi terræ filii, *Lutherus*, ex ordine S. Augustini fugitiuus: *Oecolampadius* Brigittanæ familiæ desertor: *Martyr* Dominicanæ religionis proditor; *Bucerus* Apostata Monachus, & contra fidem Deo datam, contra Sacros Canones & Concilia, contra communem deniq; omnium Christianorum sensum & consuetudinem bis terq; sponsus & pater. Scilicet hi vocationis desertæ veniam habent, ego culpam: hi præmium, ego opprobrium. Sed heus tu *Petre*, heus *Paule*, heus Sancti Prophetæ & Apostoli, quid vocationibus vestris fiebat, cum [h] relictis fratribus & cognatione vestra; relictis [i] regum aulis & cubilibus: [k] relictis teloniis quę coëmeratis: [l] relictis retibus & sagenis, quibus vitam sustentabatis: [m] relictis synedriis atque inquisitionibus, quibus operam dabatis: [n] relictis curiis ac tribunalibus, quorum honore fulgebatis: relictis deniq; omnibus, quæ humanæ vitæ decori aut præsidio esse poterant, & quæ vel fortunæ beneficio vel magistratus Imperio

* *IV. Calumniæ depulsio.*

*h Gen. 12. 1. 4. Heb. 11. 8. 9.*
*i Exod. 2. 15 Heb. 11. 24. 25. 26. 29.*
*k Matth. 9. 9.*
*l Matth. 4. 18. 19.*
*m Act. 9. 1.*
*n Act. 17. 34.*

perio consecuti eratis: cum inquam his omnibus relictis orbi, nudi, spreti atq; exules vocantem Dominum in peregrinas terras, in nouam fidem, in nouam militiam ac professionem nouam alacres sequebamini? Vtrum ea desertio probro vobis ac non potius laudi, imò magnæ non solum gloriæ, sed & centuplæ mercedis seges fuit? Ad promittente palam Christo: [o] *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione; cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomẽ meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quid ergo tu mihi nũc desertam impiam vocationem exprobras, cui huius & futuræ vitæ præmium à Deo præstitutũ vides? Vtinam me sponsore omnes *Heidelbergensium* Magistri & Professores, omnes ministri & Catechætæ hoc in uocationem suam facinus designarent, & [p] *subtracto nũdinis loquacitatis ministerio linguæ suæ*, cum Apostolis & Martyribus, cum [q] *Augustino* & [r] *Victorino*, cum clarissimis quibusq; totius Germaniæ & Galliæ viris ad Catholicam Ecclesiam transfugerent: maiores felicitati suæ cumulos nunquam forent adiecturi.

o Matt. 19. 28 29.

p August. 9. confess. c. 2.

q Ibidem cap. 6.

r Ibid. lib. 8. cap. 2.

*Sed

* Sed ab hoc loco me proximus vocat, vbi Hyperaspistes vocationi fidē & Ecclesiam substituens, quam ibi desertionis Calūniam prętruxit, hic exędificat, atq; singulari prætera illa coronide exornat, quod ego in *Caluini* secta natus & educatus, tāto maiori ab ea sacrilegio me subduxerim, quanto familiarioribus illi vinculis iam pridem fuerim astrictus. Quod ego telum si rursus cum [s] *Brasida* è corpore meo (imò verò ab extimo tantum scuto, corpus enim nequaquam attigit) extrahere, atq; in hostium vicissim turmas eiaculari vellem, proh quantæ in *Lutherum, Melanchtonem, Brentium, Illyricum, Svvenckfeldium, Zvvinglium, Caluinum, Bucerum, Oecolampadium, Bullingerum, Martyrem, Simlerum, Bezam, Zanchium, Vrsinum, Tossanum*, demq; omnes illos quinti Euangelii Apostolos, quorum nullus in ea, in qua natus atq; educatus fuit, religione constans perstitit, sed omnes (proh dolor!) amore [t] veritatis atq; antiquitatis abiecto, [u] ad insanas se fabulas conuerterunt, stragis materiam habiturus essem? Sed vt quam familiarissimè me defendam, quæro ex vobis *Parentes*, quæro ex te *Paree* collegisq; tuis, quisquam ne vestrum in ea, quam à Parentibus Præceptoribusq; primitus hausit, religione nunc perstet? Abnuere non potestis, plerosq;

*V. Calumniæ depulsio.

s Plutarch. in Lacon.

t 2. Thess. 2. 10.

u 2 Tim. 4. 4.

rosq; vestrum aut Catholicos, aut Lutheranos fuisse, ac media demum vel vltima ætate ad isthãc deploratam *Caluini* scholam, tanquã è *Charybdi* ad *Scyllã* deflexisse. Quid ergo nunc mihi patriæ religionis desertæ crimẽ obuertitis, cuius ego vos triplo aut quadruplo cõdẽnare possũ? Nego me in ea persistere aut mori debuisse, nisi salutarem fuisse demõstraueritis. Nascimur oẽs filij ADAM, nascuntur multi in Gentilismo, multi in Turcismo, aut Iudaismo, nec tamẽ in illo rectè persistunt statu, quia aliud est nasci in Ecclesia malignantium, aliud per communionem Catholicæ Ecclesiæ regnum intrare cœlorum. Meminerimus extra repagula nati per ostium intrare ouile, vt sit [x] *grex vnus & pastor vnus*, & qui persequutores erant cum *Saulo*, pastores defensoresq; cum *Paulo* euadant. Neque ignorare potestis, fœdè multos inadolescentia hallucinari, cũ infirmis adhuc iudiciis, & nulla experientia aut literatura cultis, de re omnium grauissima constituunt, & ad quamcunque sunt Religionem, vel casu, vel necessitate delati, ad eam tanquam ad scopulum adhærescunt. A quorum ego stultitia alienus, maturioris ætatis maturiora consilia sequutus, DEIQ; ductu melius & felicius agnitam veritatem amplexatus, prioribus erroribus meis æternum *vale* nunciaui, meamq; anchoram

[x] *Iohan. 10. 16.*

choram in tutissimo Ecclesiæ Catholicæ portu fixi, iuuante CHRISTO, suadente conscientia, trahente *Augustino*, aut quicunq; author est[y] Hypognosticôn. *Si iactatus* inquit *curru inanium quæstionum cadis in fluctus vanæ contentionis, & veluti nauis deserta gubernaculo, per diuersa & incognita littora volueris, nec prorsus ibi prosperè nauigare potes, reuertere, & sede in portu fidei Catholicæ, vbi te nulla possit fluctuosæ cogitationis tempestas turbare & mergere.* [y] *Lib. 6.*

* Quod tam salutare consilium meum, quod leuitatis & Apostasias conuitio suspectum mihi reddere conamini (carissimi) frustra laboratis. Nec enim leuis aut Apostata erat[z] *Abrahamus*, cum deserto idolorum cultu, cui à pueris assueuerat, veri Dei cultui cum tota posteritate se mancipauit. Non leuis aut Apostata erat[a] *Petrus*, [b] totusque Sanctorum Apostolorum chorus, cũ [c] *in plenitudine temporis*, quando cessare vmbræ legis debebant, vocanti Domino obsecuti, [d] *mysterium à seculo absconditum* non solum amplexi sunt ipsi, sed & toti orbi vulgauerunt. Non leuis aut Apostata erat[e] *Paulus*, cum Pharisaismo abiecto, cui totus ab ineunte ætate seruierat, Christi lege, cuius antea *Vatiniano odio* flagrauerat, suscepta, omnes animi sui affectus, motus & studia in contrarium immutauit. * *VII. Calumniæ depulsio.*

[z] *Gen. 12. 1. Actor. 7. 3. Iosue. 24. 2.*
[a] *Matth. 4. 18. 19.*
[b] *Matth. 19 27.*
[c] *Gal. 4. 4.*
[d] *Coloss. 1. 26*
[e] *Act. 9. 1. & seqq.*

Non leuis aut Apostata erat [f] *Augustinus*, cum è Manichæorum stabulis in Ecclesiæ penetralia progressus, quos antea coluerat, omnibus animi viribus oppugnauit, & quos antea oppugnarat, omnibus animi viribus propugnare cœpit. Non leuis deniq; aut Apostata erat totus Christianus orbis, cum tuba Apostolica perculsus, *Saturnum Iouem, Neptunum, Plutonem*, & similes Deastrorum pestes deseruit, Christoq; inaudito prius numini, Sanctæ fidei institutione præuia, totam sceptorum suorum potentiam substrauit. Miseros igitur, ac terq; quaterq; inconsideratos, qui se errorum pertinacia diuos fore sperant! [g] *Nunquam præstantibus in Repub gubernanda viris laudata est in vna sententia perpetua permansio, sed vt in nauigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere nequeas, cum verò id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem ceperis, potius quàm eo commutato, quò velis tandem peruenire.* Quanto igitur magis in Ecclesia, vbi animæ salutisq; negocium geritur, [h] *qui non potuit primas habere prudentiæ, secundas debet habere modestiæ: vt qui non valuit omnia impœnitenda credere, saltem pœniteat, quæ cognorit credenda non fuisse.*

* Sed communicato me vobiscum consilio agere maluissetis (*carissimi*) neque ita clan-

[f] *Lib. 5. confess. ca 7. & 9. 6.*

[g] *Cic. lib. 1. Epist. 9. ad P. Lentul.*

[h] *Aug. prol. Retract. & Epist. 7. ad Marcell.*

**VIII. calumniæ depulsio.*

clanculum profugere. Quid? Clanculum profugere? Ego verò clanculum profugi, qui publicis ferijs, publica rheda, via publica, aperta luce, ordine amicis consalutatis, cum honestissimis ac numero dignitateq; maximè conspicuis viris *Heidelberga Spiram* deuectus: inde (secus non licebat) proximis diebus, totam consilij mei rationem familiæ perscripsi: per familiam Magistratui significandam curaui? [i] *Non fugit, qui opportunitatem à tergo sitam persequitur.* [k] Theodorus Philosophus *interrogatus quondam, cur Athenis profugus ad Lysimachum regem venisset? non profugi inquit, sed idem mihi accidit quod Herculi. Nam vt ille ob peculiares quasdam virtutes ab Argonautis fuit expositus: sic ego propter magnanimitatem, quam Athenienſium rectores non valebãt assequi, vrbe sum exclusus.* Sed esto, profugerim. Quid tum? Fecinè aliquid à more maiorum vestrorum alienum? Quid *Martyr*, quid *Zanchius*, quid *Vergerius*, quid *Ochinus*, quid alij vestrorum Prophetarum fecerint, vobisne ignotum est? Sed absit impiorum istorũ exemplis me tuear. Ad [l] Christum dilabor, [m] ad *Iosephum* & *Mariam*, ad [n] *Paulum* & *Barnabam*, ad plures denique Martyres & Christianos alios, qui sine scrupulo persequentium furorem, *de ciuitate in ciuitatem*, vt à Domino præceptum intellexerant,

i *Antigon. apud Plutarch in Apoph.*

k *Philo Iud. in lib. Quod omnis prob. liber.*

l *Matth. 12. 15. Ioan. 6. 15.*

m *Matth. 2. 13.*

n *Act. 14. 6. Act. 9. 25.*

xerant, fugitarunt. [o] *Cum persequentur* inquit, *vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis.* Et vt [p] *Alcibiadem* etiam huic choro inseram. *Is cum ad causam capitis dicendam è Sicilia Athenas vocaretur, renuit, dixitq; stultum esse, pro fuga iudicium capessere, cum fugere possis. Et cum quidam diceret, an non credis teipsum patriæ? Respondit, imò ne matri quidem crederem. Timerem enim, ne fortè per imprudentiam aut errorem veritatis nigrum calculum pro candido submitteret.* Idem de communicandis cum amicis, aut collegis, aut quondam præceptoribus consilijs responsum habete. Nam primum re adhuc integra, consului sanè multos, quos cautè & sine periculo potui. Consului Patres in antiquitate; consului fratres in suis aduersus *Bellarminum* disputationibus: consului *Danæum*, consului *Wittakerum*, consului *Iunium*, consului denique *Rainoldum* & *Sibrandum*, & quicunque isto tempore aduersus Heroëm istum quicquam mutire ausus fuerat: quin & cum multis coram sententias contuli. Sed nusquam nil neque rationis neq; opis, neq; consilij: vt Idem mihi planè accideret, quod in Fausto sibi accidisse Sanctus profitetur Augustinus. [q] *Posteaquam* inquit, *ille mihi imperitus earum artium, quibus eum excellere*

[o] Matth. 10 23.

[p] Alian. li. 3. de var. hist. Plutarch. in Alcibia.

[q] Lib. 5. confes. cap. 7.

*eellere putaueram, satis apparuit, desperare cœpi posse eum mihi illa, quæ me mouebant, aperire atq; dissoluere, quorum quidem ignarus posset veritatem tenere pietatis, sed si Manichæus non esset.* Deinde ad domesticos quod attinet, istam quærendi solicitudinem non solum in me vehementer repressit grauissima ista Tertulliani præscriptio. [r *Nobis inquit, etsi quærendum esset adhuc, & semper, vbi tamen quæri oporteret? Apud hæreticos? Vbi omnia extranea & aduersaria nostræ veritati?* s *Ad quos vetamur accedere. Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini sui sperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus rigibus, donatiuum & stipendium captat, nisi planè desertor, & trãsfuga, & rebellis? Etiam* t *anus illa intra tectum suum dragmam requirebat: Etiam* u *pulsator ille vicini ianuam tundebat: Etiam* x *vidua illa non inimicum, licet durum iudicem interpellabat. Nemo inde strui potest, vnde destruitur. Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. Quæramus ergo in nostro, & à nostris, & de nostro: Idq; duntaxat quod saluâ regula fidei potest in quæstionem deuenire.*] Verum multò magis periculi euitandi necessitas, vestræque (vt ita dicam) prę Inquisitorum Sacramentis innocentiæ tuendæ prouidentia. Cum enim inscijs vobis tam scrupulosæ ac curiosæ purgationes impositæ

r De Præscript. ca. 12

s 2. Ioan. 1. 10. 11.

t Luc. 15. 8.

u Luc. 11. 5.

x Luc. 18. 2.

tæ sint, quid conscijs futurum fuisse existimatis? Ego verò cum [y] *regnum Dei* legissem *thesaurum esse in agro abscõditum, quem repertum homo abscondit, & præ gaudio quod habet super eo abit, & omnia quæcunq; habet, vendit, & mercatur agrum illum*: & verò dies noctesque Catholicorum arua fodiens, hunc ibi thesaurum defossum, vel maiorum potius nostrorum calumnijs, tanquam grandi lapidum aceruo obrutum inuenirem, vt Stentorem agerem, aut garrulitate mea tantum bonum perderem prostituerem, nihil erat. Quin quemadmodũ *Augustinus* paria consilia agitans: [z] *consilium*, inquit, *nostrum erat coram te Domine, coram hominibus autem nisi nostris non erat: & conuenerat inter nos, ne passim cuiquam effunderetur, quanquam tu nobis à conualle plorationis ascendentibus & cantantibus canticum graduum, dederas sagittas acutas, & carbones vastatores aduersus linguam subdolam, velut consulendo contradicentem, & sicut cibum assolet, amando consumentem*: ita & ego mihi, præsertim omnem publicæ professionis fructum desperanti, lentè incedendum, prudenterque agendum duxi, ne consilio meo deiectus irrecuperabilem libertatis iacturam facerem.

y Matth. 13. ¶ 4.

z Li. 9. confess. cap. 2.

* *IX. Calumniæ refutatio.*

* Quid ergo nunc illud est, quod de dolore vobis facto, de iniusto dedecore, de con-

concitato in Ecclesia scandalo porrò ampullatur Hyperaspistes vester? Dolorem excusabit necessitas: dedecus refutabit pietas: scandalum purgabit vtilitas conuersionis meæ. Quid enim? an dedecus vobis admittere videtur, qui sanctæ illi fidei nomen dat, in qua omnis & huius & futuræ vitæ gloria, maiestas & honor requiescunt? Non (credite mihi) nõ viuunt in dedecore Sanctissimi Pontifices, non inuictissimi Imperatores, non Serenissimi Reges ac Principes Non vixerunt maiores nostri, nõ aui, proaui, abaui, attaui &c. quorum nominibus gaudemus, quorum factis superbimus, quorum gloria clarescimus. Non Sancti Apostoli, non Euangelistæ nec Martyres, nec Confessores: qui quanto hic maculatiores [a] *stultæ prædicationis* officio ab impiis habiti sunt, tanto maiori nunc in cœlis splendore refulgent, cumque ipsorum claritate syderum concertant. Beatum igitur vestrum dedecus, ô parentes, beatam maculam, si vos spinæ rosam, vos vrticæ lilium generare potuistis! Nec minus beatum me, si quod errori vestro offendiculum statuere potui, vt qui antea pleno cursu in *Caluini* retia proruebant, nunc meo non nihil exemplo absterriti, pedem sistant, atq; hanc regiam orbis Christiani viam cogitare incipiant. O quis dies mihi videre dabit, vos [b] *omnes* esse

[a] *1. Cor. 1. 21*

[b] *1. Cor 7. 7*

*sicut ego sum!* non cauda mutilos, vt vos ex *Æsopo* luditis, sed fide integros, & veritate fortes, & constantia firmos: amplectentes videlicet hanc vnam, sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, extra quam qui vitam finit, non magis saluari potest, quàm qui olim [c] diluuii tempore extra *Noë* arcam vel in montibus, vel in arborum cacuminibus refugium quæsierunt. Attamen dolor vobis iniectus adhuc dolet. ô tenelli! nonne [d] *regnum Dei patitur vim*? nonne & Ioseph & Maria dolentes quærebant Christum? At ille [e] *Quid est* (inquit) *quod quærebatis me? Nesciebatis quia in his me oportet esse, quæ patris mei sunt?* Iam Sancta illa *Monica* quam acriter filium clanculum *Romam* nauigantem, luxit & planxit? Accipite verbis *Augustini*, mihiq; ignoscite. [f] *Egisti* inquit *mecum, vt mihi persuaderetur Romam pergere, & potius ibi docere, quod docebam Carthagine. Sed quare hinc abirem, & illuc irem, tu sciebas Deus, nec indicabas mihi nec matri, quæ me profectum atrociter planxit, & vsque ad mare secuta est. Sed fefelli eam violenter me tenentem, vt aut reuocaret, aut mecum pergeret, & finxi me amicum nolle deserere, donec vento facto nauigaret. Et tamen recusanti sine me redire, vix persuasi, vt in loco, qui proximus nostræ naui erat memoria beati Cypriani, maneret ea nocte. Sed ea nocte clanculo*

c Genes. 7. & 8.

d Matth. 11. 12.

e Luc. 2. 49

f Lib. 5. confess. cap. 8.

*culo ego profectus sum, illa autem remansit orando & flendo. Et quid ate petebat Deus meus tantis lachrymis, nisi vt nauigare me non sineres? Sed tu alte consulēs, & exaudiens cardinem desiderii eius, non curasti quod tunc petebat, vt in me faceres quod semper petebat. Flauit ventus & impleuit vela nostra, & litus subtraxit aspectibus nostris. In quo mane illa insaniebat dolore & querelis, ac gemitu implebat aures tuas contemnentes ista, cum & me cupiditatibus meis raperes, ad finiendas ipsas cupiditates, & illius carnale desiderium iusto dolorum flagello vapularet. Amabat enim secum præsentiam meam more matrum, sed multis multo amplius, & nesciebat quid tu illi gaudiorum facturus esses de absentia mea. Nesciebat, ideo flebat & eiulabat &c.*

*Ecce quam iustis vndiquaq; præsidiis & firmamētis tota mea causa suffulta sit. Et tamen ille cupiditatis æstu plenus, reatum adhuc apud Deum, infamiam apud bonos minitari audet. O felicem reatum! O gloriosam infamiam meam! Si tu *Paree* præstantissima merita tua cum infami huiusmodi reatu permutare posses, næ tu profectò perquam beatus & glorioſus fores. Sed de reatu videro ego. De infamia viderint illi, in quos hæc Imperatoris lex scripta est. [g] *Receptatores, defensores & fautores hæreticorum damnamus, firmiter statuentes, vt postquam*

* *X. Calumniæ depulsio.*

g *Authent. credentes c. de hæret. & Manich.*

*quam quilibet talium fuerit excommunicationi notatus, satisfacere contempserit intra annum ex tunc* IPSO IVRE SIT INFAMIS, *nec ad publica officia seu consilia, vel ad eligendum aliquos adhibeatur, neq; ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus praterea ei super quocunq; negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si fortè iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causa aliqua ad eius audientiam perferantur. Si verò fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta per ipsum confecta, nullius penitus momenti censeantur.*

Quamobrem CHARISSIMI (vt eodem principio & fine claudam epistolam meam) quid est quod tam tragicas passim aduersum me querelas excitatis? q̃d est quod tam implacabili in conuersionem meam ira ferimini? Videtis Catholicum me esse oportuisse, si saluus esse voluerim. Videtis & vos esse oportere, si salui esse velitis.[h] *Quã in concussis enim documentorum firmamentis omnis* Caluini vestri, aut Bezæ, aut Vrsini, aut quorumuis nouatorum *vanitas conuincatur, non magnum est etiam tardis ingenio, si tantum patienter aut intentè audierint, peruidere. Sed adsectandam insolitam rectitudinem*

[h] August. Epist. 137. ad Col.

*nem vsitatæ & quasi familiaris peruersitatis vinculum abrumpere, maiorum virium est.* Quare expergiscimini per Deum, expergiscimini, eiicite ex aminis vestris tumultuosa illa præiudiciorum rudera, pacato corde, sedata bile, iusta lance, defensionis meæ pondera trutinate: ipsius Catholicæ fidei lectis propugnatoribus; meum in timore Domini exemplum sequimini, vosq; è fœdissima dispersione ad maternum Ecclesiæ sinum aggregate: spectate lucentem toto orbe manifestissimæ veritatis solem, damnate tenebras, eligite lucē, [i] *vt filii lucis sitis*: subtrahite collum diabolo, & subdite Christo, qui iudex futurus orbis, beatitudine sempiterna afficiet Ecclesiam, hęreticos autem, Schismaticos, & reprobos omnes æternis supplicijs mactabit. Nec putate vos ratiunculis vestris, aut σοφισμένοις consultorum Hyperaspistarumque vestrorum λόγοις contra hæc tam clara & manifesta saluos fore. Folia ficulnea sunt: & [k] *foris sufflantes in puluerem, excitabitis terram in oculos vestros*, iudiciumq; vobis grauius accersetis: Tanto quidem grauius, quantò à me fidelius estis moniti. Sermo enim hic quem de munere Dei, nouit ipse quanta & pacis & vestri dilectione, deprompsi, testis erit, si nolitis, correctio verò si velitis. Mogunt. 8. Idus Septemb. M.DCI.

[i] *Ioan. 12. 36.*

[k] *Aug. gest. 12. cont. ff. cap. 16.*

EPIST.

## EPISTOLA XV.

SANCTISSIMO IN CHRISTO Patri & D. N. CLEMENTI VIII. Pontifici Maximo

*IVSTVS BARONIVS VETERacaſtrenſis.*

AD III. Calend. Sextileis, cum duobus ante menſibus *Moguntiam* veniſſem, magna in ærumna mea redditæ mihi ſunt alteræ S^tis^ T^æ^ litteræ, paterna mei ad *Illuſtriſſimum Electorem Moguntinum* commendatione ſtipatæ. Quas propterea tanta animi exultatione perlegi, vt quaſi in medio naufraugio ſcapham attingere, tutoq; vitæ portui appelli viderer. Rem marmori inſculpſi ſempiternæ memoriæ: nec *danti quicquã gratius à me rependi poſſe puto, quàm ſi gratum habuero, quod gratis accepi. Spiritui enim gratiæ contumeliam facit, qui beneficium dantis grata mente non ſuſcipit:* Vt *Imerico Cancellario* Magnus ille *Bernhardus* quondam reſcripſit. Verum nẽ ſolis agendis gratijs contentus, omnem beneficentiæ fructum ludere videar, En hunc primitiarum faſciculum ad pedes S^tis^ T^æ^ depono: id eſt breuem modeſtamque (qualis ſpiritum Chriſti decet) *pro mea ad Sacroſanctam Catholicam Romanam Eccleſiam tranſmigrati-*

one

*one Apologiam*, nomini Illustrissimi Nepotis tui, D. CINTHII ALDOBRANDINI, &c. consecratam: quam hoc ipso quoque nomine S^ti T^æ velut domus ALDOBRANDINÆ fausto *Atlanti* gratiorem fore speraui. Maiora atque elaboratiora ingenioli vires opera nunc non tulerunt. Proximæ tamen Nundinæ σὺν θεῷ propositum nostrum vberius confirmabunt, nec vlla corrigendi erroris vsquã oblata à me peribit occasio, quin totis viribus hominum saluti incumbam, tenebrisque occæcatos non exemplo solum meo, verum & studio & conatu ad Catholicæ veritatis lumen perducere annitar. Sed est à fortuna grande huic successui obiectum obstaculum, cui amoliendo, si qui possunt, seriam nauabunt operam, breui integras conuersorum messes faciemus, quod ex eorum numero æstimo, qui mihi hactenus ex *Palatinatu* cæteti(que vicinis Prouincijs præcipui viri ac duces gregum adfuerunt.

Fructum Apostolicæ commendationis ab *Illustrissimo Archiepiscopo* nostro expectamus. Locus in Curia, quem sciam, nunc vacuus nullus. Interim expectationem optimus Princeps necessario subsidio fulcit, meque benigne habet. De nominis mutatione etsi gaudeam mihi liberum relictum, causæ tamen subsunt, quamobrem meo in

vrbem

vrbem aduentui (nam ea adhuc spes superest) reseruandam arbitrer. Res obuia calumnijs, & nisi certo autore fiat, maioris apud Parentes opprobrij, quod si non effugere prorsus, declinare saltem aliquantulum licebit. De valetudine primum febris *Augustana* in Colicam abijt: deinde medici diligētia, quē certè Deus hic industrium peritumque dedit, sensim sublata, necessarijs iterum vitæ munijs me præesse finit. Immortales Deo gratiæ, qui durum cernicibus meis flagellum clementer abstulit: Immortales etiam gratiæ tibi, SANCTE PONTIFEX, cuius paterna commiseratio, atque Apostolica benedictio, non minoris quam priscæ illæ Patriarchales censenda, non dubito quin vel maximum sanitati meæ robur attulerit. * *Benedictus Dominus Deus noster, qui voluit te ordinare super thronum suum*, Pontificem Ecclesiæ suæ: *Beati viri tui, & beati serui tui, qui assistunt corã te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam. Vicisti famam virtutibus tuis. Diligit Deus Israel, & vult seruare eum in æternum. Idcircò posuit te super eum*, Pastorem, *vt faceres iudicia atq; iustitiam*. Mogunt. Calend. Octob. M. DCI.

* 2. *Par.* 9. 7. 8.

EPI-

## EPISTOLA XVI.

## ILL^mo ET REV^mo D. CÆSARI BARONIO Sorano S.R.E. Cardinali

## *IVSIVS BARONIVS VETE-racaſtrenſis S.*

ETsi publica gratiarum actione tua incredibilia erga me merita celebrare conſtitueram, CARDINALIS ILL^me: tamen quia multis ex cauſis longum fiebat, anteuertendum putaui, ne immemor paterni tui in me affectus viderer. Primum igitur quod meam ab itinere Romano reiecti cauſam tam fideliter apud Pontificem Max. egiſti, quod meum in Germania luctum mœroremque literis quam humaniſſimis conſolatus es, quod conſtantem denique fidem & patrocinium tuum deinceps rebus meis clementiſſimè addixiſti: ſcito id totum me eo loco habere, quo beneficia longè maxima atque omni laudatoris cothurno ſuperiora haberi debēt. Sed quia multum inſuper beneficiorum iſtorum pondus auget, quotidiana diuiniſſimorum ANNALIVM tuorum lectio, (quos quotieſcunque inſpicio, inſpicio autēcreberrime, præceps in hymnum illum Seueri M. Ieuitani feror. [a] *ô verè artificioſa apis Dei, conſtruens fauos diuum nectaris plenos, manantes miſericordi-*

[a] *Apud S. Auguſt. Epiſt. 37.*

*am & veritatem, per quos discurrens deliciatur anima mea, & vitali pastu quicquid in se minus inuenit, aut imbecillum sentit, resarcire & suffulcire molitur:*) Scito eam esse vicissim animi mei πρὸς χάριν ῥοπὴν, vt si aliquam tuorum meritorum partem videat assecuturus, nonsolum me totum, quantus quantus sum, tuæ vnius voluntati libenter consecraturus, sed & ipsâ vitâ tuę vitæ litaturus sim. Sed non vis sanguinem scio: fidem, pietatem, constantiam vis. Quæ ipsa vt tibi de me testatiora sint, en accipe hunc primitiarum Catholicarum fasciculum, vel primæ potius messis manipulum, APOLOGETICAM *meæ ad Romanã Ecclesiam transmigrationis defensionem*, nomini quidem tuo (ratio non ferebat) non dicatam, sed ex voto tamen tuo (spero) scriptam. Quam vbi legeris, & calculo tuo comprobaris, magnum me laboris mei fructum percepisse putabo. Sin improbabis, meq; ad hanc militiam sacram iudicabis imbecillioré, quæso per Deum tempestiuè mone, reuocaque à carceribus properantem, ne longius in campum progressus, sistendi postea cursus locum nullum inueniam. Nam de studijs quidem meis ipse certum adhuc capere consilium nõ potui, alijs me causis ad *Theologiam*, alijs ad *Iurisprudentiam* vocantibus. Qua ipsa in deliberatione me tuo vel maxime

ximè ductu gubernari obsecro. *Theologiæ* paulò magis insueui : sed clericis potissimũ ex hac professione vitã pendere in Ecclesia sentio. De Iure iam aliquo vsque vltra humiliora etiam subsellia progressus sum. Sed sunt quæ morentur, sunt quæ absterreant, non ipsa solum tanti pelagi immensitas, verum & tribunalibus ab imperitis aut cupidis iniustitiæ aspersa macula, quam nescio quomodo etiam contrahunt, qui se intimos iustitiæ alumnos profitentur.

De cæteris rebus meis heu quam varia mihi hactenus fortuna! Ex vna parte vexauit turbo maligniſſimæ famæ, ac turpiſſimorum conuitiorum, quibus nomen meum lacerare haud cessarunt etiam ij, qui vel maximè eius patroni esse debuissent. Ex altera insurrexit fluctus grauissimarum offensionum, irarum atque execrationum, parentum scilicet & amicorum, qui haud secus ac parricidij reum teterrimis huc vsq; supplicijs me destinare pergunt. Ex altera denique perculit fulgur magistratus ac tonitrua tribunorum *Prædicantium*: quorum ille quæ in vxorem, liberos, & suppellectilem librariam perpetrarit, alias scribam: hi verò singulis in me concionibus non mitius, quàm in *Verrem* aliquem aut *Catilinam*, aut vt propius sacris nostris efferam, in *Porphyrium* aut *Iulianum* debacchati sunt.

Sed hic à patientia præsidium meum duxi, deflexisque oculis ad eum, qui grauiora à suis contribulibus passus, [b] *Dimitte* (inquit) *illis, pater: non enim sciunt quid faciant*: eodem me clypeo tutatus sum. Neque effecerunt tamen omni conatu suo, quin aliqui pietatis ardore correpti, inter ipsas adhuc perstrepentium spumas Catholicam fidem meditari inceperint: quorum anteambulonem se præbuit honestus adolescens IACOBVS NIGRINVS, qui cum abiurata hæresi, Sacramentorumq; sæpius frequentata religione commodum hic locum non inueniret, nostro inprimis suasu & hortatu *Romam* iter capessijt, tuaque inprimis humanitate AMPLISSME CARDINALIS præsens sibi spopõdit subsidiũ. Quæ ne eum spes fallat, etiam atque etiam oro. Sunt hæc præludia maioris vbertatis, nec deerunt viri præclarissimi, qui si *Theseum* aliquem nacti fuerint, breui spero eandem viam ingrediantur. Quibus adeò studia mea haud defutura sunt, vt quicquid in me est opis, aut diligentiæ, aut industriæ, id totum libenter saluti eorum cum capitis etiam discrimine deuoturus sim. Patroni hic erga me partes cumulatè exequitur Illustris D. IOHAN. SCHVICARDVS à CRONBERG, *Cathedralis Ecclesiæ Moguntinæ Decanus*: qui ad me vndiquaque ornandum & tutandum promptus,

[b] Luc. 23. 34.

ptus, vnica Sedis Apostolicæ commendatione videtur futurus longè promptior. Hãc igitur mihi gratiam vbi clementer impartiemini, & cumulum vestrorum erga me beneficiorum pleniorem, & fructum meorum hic emolumentorum longè reddetis auctiorem. Vale ILL^me D^ne Mogunt. Calen. Octob. M.DCI.

## EPISTOLA XVII.

## ILL^mo ET REV^mo D. CINTHIO Aldobrandino, S. R. E. Cardinali.

*IVSTVS BARONIVS VETEracastrensis S.*

ERAM equidem iam antea satis in studiũ admirationemque tui incitatus, ILL^me Et REV^me CARDINALIS, cum prioribus literis tuis ostendisses, quanti causam meam faceres, quantumq; eam promotam cuperes. Posteaquam verò nunc etiam posterioribus cognoui, nec culpam silentii mei grauissimam, errore magis quam studio aut negligentia admissam, ab hoc te animo dimouere potuisse: tanta facta est ad pristinum meum erga te studium accessio, quantam verbis explicare non possum. Editurus itaq; re ipsa qualemcũq; grati animi significationem, mitto consecratas amplis-

simo nomini tuo Catholicorum meorum fructuum primitias: id est *Pro mea ad Sacrosanctam Apostolicam Romanam Ecclesiam transmigratione* APOLOGIAM. Quam quid scribere, quid edere, quid tibi inprimis dicare ac consecrare impulerit, quia isthic in fronte satis præfatus sum, nihil nunc repeto. Vnum id restat, conatum vt meum benigne probes, vileque literarium munusculum μετ' εὐνοίας καὶ μεγάλης συγγνώμης accipias, reputans id animo, *decumana maxima*, prima omnium minima esse *ova* consueuisse. Cæterarum mearum rerum statum CARDINALI BARONIO perscripsi, afflictum scilicet illum, & quotidianis calamitatibus afflictiorem. Morbo expeditum furiæ nunc infestant calumniarum, furiæ inimicitiarum, furiæ rapinarum, vt maximo jure meum illud psalmis facere possim. [a] *Domine duxisti super me omnes fluctus tuos, longe fecisti notos a me, posuerunt me abominationem sibi. Traditus sum & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia: circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul. Elongasti a me amicum ac proximum, & notos a miseria.* Sed quid ad me frendens diaboli insania?

a Psal. 87. 8. 9. 18. 19.

[b] IVSTVM *& tenacem propositi virum,*
*Non civium ardor prava jubentium,*

b Horat. li. 3. Carm. Ode. 3.

Non

*Non vultus instantis Tyranni*
*Mente quatit solida, neq; Auster*
*Dux inquieti turbidus Adriæ*
*Nec fulminantis magna manus Iouis;*
*Si fractus illabatur orbis*
*Impauidum ferient ruinæ.*

Atque hanc mentis meæ constantiam, quo mystæ mendaciorum liquidius perspiciant, omni opere annitor, verbo, gestu, vultu. Nec cesso vndiq; peritiorum animos lacessere, legendarum controuersiarum laborem ne subterfugiant, ac μορμολύκεια illa falsissimorum de nobis præiudiciorum eliminent, quibus sublatis haud dubito, mirificos eos in veritate progressus facturos. Neq; aliud est, quod magis homines ab orthodoxa fide absterreat, quàm inania illa terriculamenta, & monstrosa de plerisque doctrinæ nostræ capitibus ab hæreticis excogitata figmenta: quibus quandiu miseri tanquam *capitibus Gorgoneis* defixi hærent, obrigescunt, & vespertilionum instar ad plenam lucem cæcutiunt. Cui vulneri sanando, vrendo, leniendo vt ego perdiius pernoxq; cum cæteris hic instabo: ita vos quęso istic Excellentissimi Principes ad clauum Ecclesiæ sedentes, juuate votis, fauete animis & linguis, & quæ minus ex animo vestro videbuntur facta, libera virgula emendate, ne non tam nostra in obediendo

voluntas, quàm vestra in præcipiendo successibus publicis authoritas defuisse videatur. Vale. Mogunt. 3. Non. Octob. MDCI.

---

## EPISTOLA XVIII.

ILL^mo ET REV^mo D. ROBERTO Bellarmino S.R.E. Cardinali, Archiepiscopo Capuano

*IVSTVS BARONIVS VETERA-castrensis.*

POSTEAQVAM Iure ciuitatis Dei donatus sum, ILL^me ET REV^me D^ne nil maiori cura anuitendum putaui, quàm vt pomœria eius quaqua possem, dilatarem, hostesq; ipsius festino cursu ad interitum properantes, ab execrabili insania reuocarem. Quamobrem cum ipsa experiētia nossem, inter CALVINIANÆ hæreseos sustentacula duo insigniora esse, quibus plerique omnes siue in *Germania*, siue in *Belgio* suos concipiant, foueant, protegant, & ad posteritatem propagent errores: *Iohannis Caluini Institutionem*, & *Zachariæ Vrsini Explicationes Catecheticas*: Cogitare iam dudum cœpi, quomodo ista fulcra incidi, & ad perfidiæ defensionem inutilia reddi possint. Cogitationem isthanc auxit negotij perficiendi facilitas. Cum enim à doctissimis viris ita nunc instructa sit Catholica Ecclesia, vt

non

non vnos tantum *Caluinos* aut *Vrſinos*, ſed integras beſtiarum huiuſmodi turmas proſternere, ac ſi connittantur, ad internecionẽ del-re queant, quid laboris reſtet in duobus, ſummis quidem illis, ſed tamen hæreticis Deiq; armatura inferiorib⁹, & ad omnẽ ictum nudis? Sed quia multum intereſt, quo quidque modo, quo duce & auſpice geratur, deliberandum cenſui, cui potiſſimum hæ partes demandarentur. Ac de *Vrſino* quidem res expedita eſt, ſi vel noſtratium aliquis cum eo in arenam deſcẽdat. De *Caluino* autem grauior labor, cui cum ſolicitè mecum cogito, quem potiſſimum Antagoniſtam optem, te vnum inuenio ILL^me D^ne omnium aptiſſimum: cuius laus & fama toto orbe percrebreſcens, apud ipſos quoque hæreticos tantam exiſtimationem dignitatemq; conſecuta eſt, vt vel ſola nominis tui illecebra ad emendum legẽdumque incitari ſoleant. Quamobrem ſi à grauiſſimis occupationibus tuis tantum ſubceſiui temporis decerpere licebit, perſuadeas tibi velim, nullum excellentius, nullum fructuoſius, magiſque Chriſtianæ Reipub. neceſſarium à te opus elucubrari poſſe. Erit nempe hæc felix *Diſputationum tuarum* coronis, quoſque illis tanquam arietibus conuulſiſti, hoc quaſi *Herculeo* telo obtruncabis, ne vlla repullulaſcere vſquam

hydra possit. * *Macte virtute* diuine vir, *in orbe celebraris: Catholici te conditorem anti-quæ rursum fidei venerantur atq; suspiciunt, & quod maioris gloriæ est, omnes hæretici detestantur; meq; pari persequuntur odio, qui contra flantes ventos ardore fidei perstiti, maluiq;* quantum Dominus gratiæ dedit, *solus liberari de Sodomis, quàm cum pereuntibus commorari.* Mogunt. Nonis Octob. M.DCI.

* *Hieron. apud S. August. Epist. 25 Et apud eosdem Hieron. Epist 80 ad August.*

## EPISTOLA XIX.

## CÆSAR BARONIVS SORANUS S. R. E. Cardinalis

## *IVSTO BARONIO VETERA castrensi S.*

### Illustris Domine.

SVAVISSIMAS literas tuas accepi, quę mihi partim summam iucunditatem, partim summum dolorem attulerunt; tũ quod perpetuam tuam constantiam, quam in rebus aduersis demonstras, indicabant; tum quod ita te animatum esse significent, cupere te omnes tuas exercitationes & studia ad meam sententiam dirigere. Quod itaq; ad primum attinet, benè facis, quod existimes, nihil tam graue tamque molestum euenire posse, quod à bona mente te possit aut debeat auocare. Quod vero ad studium genus amplectendum spectat, credo in

*Theo-*

*Theologia* te posse optimam operam collocare; vt fidem Catholicam, quam verè suscepisti, scriptis etiam, vt incepisti, comprobes. Litteras quas ad ILL^em^ D. *Deranum* petis, vnà mitto, teque ad proximum ver *Romæ* videre desidero. Vale. Ex Vrbe. 12. Calend Nouemb. M. DCI.

---

## EPISTOLA XX.

## *CLEMENS PAPA VIII.*

### DILECTO FILIO IVSTO BARONIO Veteracastrensi.

*Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

LITTERAS tuas, & *Apologiam* de tuo ad gremium Catholicæ Ecclesiæ reditu, quas ad nos misisti, libenti animo accepimus, gratumque est nobis, quod præclara erga te diuinæ misericordiæ beneficia, & piè agnoscis, & magnificè prædicas, & ad eandem veritatis lucem, quam Spiritu Sancto auctore inueneristi, alios adhuc tenebris inuolutos perducere studes. Non erit,

vt

vt ſperamus, infructuoſus labor tuus, Deo ipſo ſementi tuæ incrementum dante. Tuum tibi certe meritum apud patrem miſericordiarum conſtabit, ac ſaluum erit. Quod Venerabilis frater noſter *Arichiepiſcopus, & Princeps Elector Moguntinus*, & noſtra commendatione, & tua virtute adducta, benigne, vt ſcribis, tecum agat, teq; foueat, id nobis pergratum eſt, noſtræque expectationi conſentaneum: ad quem alteras nunc quoq; tui cauſa commendatitias litteras damus, vt te tanto propenſius complectatur. Quin etiam & *Decano* illius inſignis Capituli te commendamus, vt plura tibi præſidia paremus. Tu verò ſi *Romam* venire ſtatueris, gratus nobis aduenies, teq; & libenter inprimis videbimus, & tibi adiumento erimus. Amamus enim te in Chriſto paterno affectu. Ipſe autem, qui te * *vocauit in admirabile lumen ſuum*, dona ſua in te cuſtodiat, atq; adaugeat, & nos tibi

* 1. Pet. 2. 9.

bi Apostolicam benedictionem nostram ex animo impartimur. Datum *Romæ*, apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XII. Decemb. MDCI. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Siluius Antonian. Card.

---

## EPISTOLA XXI.

## CINTHIVS ALDOBRANDINUS S. R. E. Cardinalis *IVSTO BARONIO VETERACastrensi S.*

*Magnifice & Ornatissime Domine.*

ACCEPI quidem litteras tuas 3. Non. *Octobris* datas, nec dum tamen *Apologiam* mihi, vt scribis, dicatam. Nescio quid moræ in itinere ei obiectum narrat egregius Dominus *Iosephus VVindenius*, cui vt video res tuæ non mediocri curæ. Exosculor interim toto animi affectu istas, absentes licet, Catholicorum tuorum fructuum, vt vocas primitias. Quæ vtinã iis prosint maximè, quibus hunc potissimum desudasti laborem. Certè nõ dubitò quin magnoperè probentur, quibuscunque inerit aliquis pietatis ac bonæ mentis sensus. Noluiautem

tem agendarum tibi gratiarum officium diutius debere. Hoc igitur persoluo & quidem ex animo, sed ita tamen, vt me nihilominus in ære tuo semper esse agnoscam lubens ac profitear. Omninò messis isthic vberrima, vt testantur eædem litteræ tuæ. In tanta autem operariorum paucitate planè confidimus fore, vt præcipuè virtus tua & industriá eniteat. Aderit Deus in Vinea sua fideliter laboranti; cui etiam paratum *Sanctissimi Pontificis* patrocinium, vt plenius ex *Breui Apostolico*, quod cum hisce litteris erit, accipies. Vale feliciter, illataſq; tibi pietatis causá iniurias, quibus equidem ingemisco, forti ac vere Christiano pectore perferre insiste, hoc subinde reputans, * *non esse condignas huius seculi passiones ad futuram gloriam*, quam tibi auguror & opto. Romæ die 22. Decemb. MDCI.

* Rom. 8. 18.

## EPISTOLA XXII.

### NICOLAVS SERARIVS SOcietat. Iesu Presbyter DANIELI TOSSANO ACAD. Heidelb. Professori S.

MIRABERE fortassis, Doctiss^me D. *Tossane*, quid ignotus ego ad te, ad Caluinianum Catholicus, ad Superintendentem Societatis Iesu Homo. Sanè scribendi causa mihi nulla esset, nisi perpelleres. Atq; id pau-

id paucis exponam, non vt vllo tecum modo litigem (vetat [a] Ecclesiasticus, & paulò suauius Apostolus cum ait.[b] *Seruum Domini non oportet litigare.*) Sed vt de te apud te, dolens licet ac inuitus querar: neque, vt apud [c] S. Hieronymum quidam, *me quod nemo nouit, audisse aut vidisse* fingam, sed vt Paulus meus, [d] *quæ scribo, ecce coram Deo, quia non mentior.* Audieram non ita pridem meas quasdam, cum aliorum quorundam literis apud vos interceptas, & cũ alio proficisci deberent, retentas. Sed quia id neq; mihi certum, neq; à quo, aut quam ob causam factum esset, indicatum erat, contemsi rumusculum. Præsertim, quia mihi eram probè conscius, neque in alijs, neq; in illis à me quidquam positõ, quod vel Momos & vitilitigatores vllos meritò irritaret. Deinde quia si ab eo, cui publicæ aliquid autoritatis esset; retentæ illæ fuissent, ego negry quidem aut my contra. Sed quiritari si quid vellem, apud Deum meum potius, quam apud homines, expostularem. At superiore hebdomade, cum è *R^di & Nobilis Domini Metropolitanæ huius Ecclesiæ Præpositi* domo, ad amicum quendam officij negotijque alicuius causâ iuissem, monstrauit is mihi, quę *Heidelberga* venerat, Epistolã, in qua scriptum erat, *D. Tossanum*, & *D. Gernandum* illas, de quibus ago, literas

[a] *Cap. 8. 4.*
[b] *2. Tim. 2. 24.*
[c] *Princip. aduer. Russin.*
[d] *Gal. 1. 20.*

ras accepisse. Mirari ego, Theologum & Heidelbergensium Theologorum Principem, Veteranum verbi ministrum, & Superintendentem, quod suum non esset, ita palam accipere, neque suo cum posset, Domino redhibere. Attamen aliud nihil tum constitui, sola tui miratione miserationeq; contentus. Nudius autem quarto, cum iam ex animo iniuriam illam deleſſem, ecce tibi ex *Aschaffenburgensi* Reu^mi & Ill^mi nostri aula quidam. Narrat quemadmodum meæ, & *D. Iusti Baronij* literæ *Heidelberga* sint ad eundem Reu^um & Ill^um nostrum missæ. Integræ, inquam, clausæ & obsignatæ? Non, inquit, sed apertæ ac resignatæ. Imo marginalibus etiam notationibus, & sublineata rubrica illustratæ. Auebam videre, & ipsa ilico apographa profert, non tamē ipsa, quod optassem, autographa. Obstupui: nec tamen steterunt comæ: sed animus; & vt *Philolachus Plautinus*: diu cogitaui, argumenta in pectº multa instituí, eamque rem in meo corde volutaui, & diu disputaui. Tandem verò, nō possum, inquam, minus, quam non quidem apud alios, sed apud ipsummet *D. Tossanum* conqueri. Dominum illum alterum non noui: & si nossem, forte causa etiam esset, cur de eo putarem silentium satius. *D.* autem *Tossanum* concionantem quandoq; audiui, & è scriptis

ptis noui. Sacras is literas legit: pacatius & vtilius cum eo licebit agere. Prior etiam è duobus nominabatur. Et Notheticam hilce diebus in nostra hæreticorum Bibliotheca vidi Epistolam, quam ad Theologum Moguntinum ipse olim, non priuatis literis, sed Typis publicis destinauit: ægro ferre animo haud poterit, si Moguntinorum nunc aliquis, ab illo læsus, & iniuria non vulgari affectus, aliquam ad eum vel querelam vel monitiunculam priuatim & arcanè mittat. Obsecro te igitur, mi *D. Tossane*, cum pax Dei Opt. Max. benignitate in terris alta est, cum inter principes & populos bella nulla sunt, quod nam tibi alienas literas interuertendi & recludendi ius? An plusquam [e] *S. Paulo* vobis prædicantibus *omnia & licent & expediunt?* An quia ipsi Dei Ecclesiæ, diuinarum literarum libros, diuinæque gratiæ sigilla iam aliquot detraxistis, eius etiam membris & alumnis publicum humanumque literarum & sigillorum vsum eripietis? Quia Christi Domini ac S^is N^i omniumq; cœlitum signa sustulistis, in Epistolarum etiam sigilla inuadetis? Quia Ecclesiasticas & Pontificias leges cõtempsistis, diuinas etiam, & quas ipsa omnium animis infixit insculpsitq; natura, conculcabitis? Diuina vtique, & prout contra *Caluino* vestro similimum [f] *Faustum* San-

e 1. Cor. 6 & & 10 23 Eccles. 37 31

f Lib. 15. 7a

ctus dicit Augustinus; *naturalis lex est, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Si verò literarum quidpiam tu aut in Hollandiam ad *Iunium*, aut in Galliam ad *Bezam*, aut verò ad tuorum vllum aliò dares, easne aut hic Moguntiæ, aut alibi vspiam, ab eo qui cum non agis, capi & reserari velles? Imo his ipsis, quas ad te iam scribo, etsi momenti nō magni sunt, alienas inijci manus optares? Verumtamen dico tibi, quia Imperatori *Alexandro* remissius erit in die iudicij, quam tibi. *Clamabat* .n. *Sæpius*, (g Lampridij verbis vtar) *q à quibusdam siue Iudæis, siue Christianis audierat & tenebat, idq; per præconem, cum aliquem emendaret, dici iubebat: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Dum animo interdum mecum reputo, vt fundendarum pro vita functis precum è h Sacris Biblijs exemplum profligaretur per vos *Machabaicorum* librorum auctoritatem à Satana maximè oppugnatam, venit in mentem vereri, ne in sacrum *Tobiæ* librum idem iuris & honestatis omnis aduersarius linguas styloſq; vestros tanto hactenus opere incitarit & exarmarit, vt ex eodem diuinorum librorum tabulario tam præclara tamque hominum generi vtilis & necessaria hæc naturæ lex per uos eraderetur: sicque sensim per axioma vestrum, quia *in Biblijs scripta non esset*; ex hominum animis & moribus peni-

g *In Alexa.*

h *2. Mach. 12. 44 45.*

tus

tus exterminaretur. Etsi enim paucis quibusdam visum olim aliter, ea tamen hodiè in tota Bibliaci corporis structura, neq; secundum vnam nostram antiquam, neq; secundum vestras tot & tam varias versiones nouas, nisi in aureo & Canonico [i] *Tobiæ* libello, disertè perscripta. Sed Senex apud vos taceat Tobias. Vates audiatur [k] Isaias. *Erit*, ait, *vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicent: Lege istum, & respondebit, non possum. Signatum est enim.* Is, de quo mihi postea loquendum; hæreticus habet quidem loco aliquo *Tremellium*, & in *Iunio* dissentiens à *Beza* iudicium commendat: Bibliacam tamen eorum versionem mirè improbat, ocyssimumque ipsi aut sepulchrum, aut Vulcanum auguratur. Quia tamen isthic nata, vobisque admodum bella & bona est, meminisse poteris, in ea pro *signato libro*, *literas* poni *obsignatas*. Hæ verò legendi perito cum dantur, quomodo se ideo legere non posse respondet, quia obsignatæ sint? non manibus, dentibus, cultellis earum claustra frangere, sigilla conuellere, totas explicare, explicatas arbitratu suo legere ac relegere poterat? Sanè si Physicam vim & robur spectemus, poterat: si Ethicam, qua id posse dicimur, quod ritè rectèq; possumus; non poterat. Quemadmodum si hisce meis per-

i Cap. 4. 16.

k Cap. 29. 11.

lectis, aut efferuescens iræ impetus, aut bilioſior aſtātis alicuius vox tibi diceret: Quid *Toſſane* ceſſas? Iraſcere, Iraſcere: nouamque vili huic animæ plagam inflige: tu pro tua prudentia & grauitate reſponderes, non poſſum. Si enim naturalis tantum facultas conſideratur, poſſes profecto in me ſtomachari, nouiq; quidpiam ſycophantari. Sed ſi quam recta regat ratio & iuſtitia, poteſtas ſpectetur, nihil potes. Iſto igitur modo inducit illum Propheta dicentem, ſe obſignatas legere literas non poſſe, vt exinde liceat intelligere, quæ apud omnes tum ſignatarum rerum fuerit religio, quæque apud omnes è naturæ præſcripto eſſe ſemper debeat. Vt cum meæ illæ tibi traderentur, ſimulq; vel à tuo ipſius animo, vel ab eo, qui tradebat, diceretur, lege, reſpondendum abs te merito fuerit, *Non poſſum. Nam obſignata ſunt.* In[l] *Apocalypſi*, quę etſi *Lutheranis* Apocrypha, vobis tamen *Caluinianis* Canonica eſt, *liber ſeptem ſignaculis ſignatus* profertur, magnaque ab Angelo voce clamatur.[m] *Quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius?* Si naturales tantum vires, & audacia requireretur, eſſent in promptu, qui ſeptuaginta etiam ſoluere ac frangere poſſent ſignacula. Sed quia dignitas, ius, & poteſtas legitima & ſancta in eo, qui ſoluere vult, neceſſaria eſt, ſubdit *S. Iohannes*,

[l] Cap. 5. v. 1.

[m] Ibid. v. 2.

*hannes*, præter innocentem & diuinum illum agnum [n] *nemo poterat neq; in cœlo, neque in terra, neq; subtus terram aperire librum, neq; respicere illum.* Nō sunt quidem literularum mearum quisquiliæ cum augusto mysticoque signato libro illo conferendæ: Sed ex ea tanti Apostoli visione ac descriptione cognoscimus, ad ea quę sigillis clausa & munita sunt, aperienda & inspicienda, non esse quemlibet aptum & idoneum: Verum tantummodo illos, qui digni sunt, dignitate morali, iustitiæ naturæque consentanea. Noster vero S. Paulus quid? [o] *Hæc* ait, *est voluntas Dei, Sanctificatio Vestra*: Et paucis interiectis, [p] *vt ne quis supergrediatur, neq; circumueniat in negotio fratrem suū, quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* Qui vero pacis tempore, in publica principum gentiumque tranquillitate, quod alterius est, inuito eo arripit, ipsum non supergreditur? & si ex eo, quod arripuit perniciem ei aliquam & incommodum creare nititur, eum non circumuenit? Sunt autem quæ ad aliquem ab aliquo mittuntur Epistolæ, dominorum duorum. Nam qui mittit, suas esse manu signoque suo indicat: is verò ad quem mittuntur, & interiore illarum appellatione, & exteriore tergi superscriptione, sibi eas iure vendicat: & cum eas alius quispiam retentare ac dirumpere vult, re-

[n] *Ibid. 5. 3.*

[o] *1. Thess. 4. 3.*

[p] *Ibid. 5. 6.*

clamat & renititur illorum vterque, absens licet: vnus per complicationem & sigillum suum: per superscriptionem nomenq; suum alter. Vt duplex hic quodammodo interueniat supergressio & circumuentio. Valde igitur Dei voluntati repugnat, valde sanctificationem suam impiat & polluit, valde diuinam suum in caput vindictam accersit, literarum eiusmodi retentator & diruptor. Atque hæc & his multo plura, quæ diuinus passim suppeditat codex, apud omnes, apud Theologum tamen & Superintendentem præsertim, momenti esse debent maximi: si tamen libeat, interroga, mi *D. Tossane*, ipsos etiam Iurisconsultos, aut si fortè (quod mihi quandoque vester videtur feciisse *Iunius*, vti & ante annos aliquot *Sohnius*) eos legisti, recole quemadmodum ad *Corneliam de falsis* legem & pœnam, literarum alienarum apertores & inuulgatores reuocent [q] *Bartolus*, [r] *Clarus*, [s] *Damhuderius*, alij. Sed quod ad illam reuocent, non propriam in istos sanctionem afferant, vel ideo accidit, quod hoc iniuriæ genus tantum sit, vt quemadmodum de scelere alio dixit Apostolus, [t] *ne inter gentes quidem auditum esset*: vel [u] vti de parricidio dixisse Solon dicitur, *nunquam id futurum suspicarentur* Christiani, Ethniciue legum latores. Et quæ alia etiam causa, cur aut Philosophi, aut

*q Bartol. l. Cor. de fal. & Titio. ad municipalem.*
*r Clar. li. 5. sentent. 4. vers. Aperiens.*
*s Damhud. in Praxi. crimin. c. 122. num. 19 & 20*
*t 1 Cor 5. 1.*
*u Plutar. in Solone.*

aut Grãmatici, verborum quibus quæq; res nominetur, artifices, nullum, quod quidé sciã; ijs qui culpa sese tali astrinxissent, nomen imposuerint? Alioquin vt in similibus cognatisque vitijs, non dubito quin per aliquam saltem imitationem, Græcè ac Latinè *Grammatocleptas*, *Grammatapossphragistas*, *litterifragos*, & *litterirupas* haberemus. Mitte istos tamen, & ad Iudæos perge. Inuenies, quemadmodum dictitent, & in quotidianis ac familiaribus etiam Epistolijs scriptitent, horrẽdam *Rabbi Gersonis*, quem *Meorath haggolah*, siue *captiuorum exulumque lumen* vocant, ijs execrationem impendere, qui quæ ad ipsos non spectarent, dissoluere at reserare literas audeant. Et licet quam Cornelia pœna, quam Gersonicum anathema hoc, multo magis illa, quam supra denunciabat [x] Apostolus, Dei vindicta extimescenda sit, ex hisce tamen à Christiana sanctitate alienis, cæcis mortalibus discimus, vim aliorum signis & Epistolis adhibere quam detestabile sit. Magis tamen fortasse credas, si è tuis aliquos audias. In suo igitur Theatro [y] Theodorus, *alienas literas resignare, curiositatis*, ait, *& perfidiæ est.* Scholæ Vestræ antecessor, nisi tamen (vti cum superiore mercatu eum Francofurti viderem, facturum mihi quidam Geneuensis dicebat) à vobis discessit *D. Gothofredus*,

x 1. Thess. 4. 6.

y Volum. 2. tom. 3 pag. 256.

in sua interlitorum ac resignatorum testamentorum explicatione, [2] *Resignat*, ait, *qui sigillum aufert, vel qui aperit. Id Bartolus extendit ad eum, qui literas alterius aperit.* Sed omnium instar sit magnus vester Parens, qui in Geneuensi Calendario vestro, vnde sanctos Dei cœlites exturbastis; *verus Dei seruus indigitatur*, [a] Martinus Lutherus. Is non priuatum aut prædicantem quempiam, vt ego iã, admonens, sed prout gloriatur, *Illustriss^m Saxoniæ Ducem Landgrauium Thuringæ, Margrauium Miſsniæ* acculans, & maledictis (quam rectè vos maledici huius nepotes videritis) figens omnibus, *Fur*, ait, *est fur, siue pecuniæ fur, siue literarum fur sit.* Et postea. *Non est in orbe terrarum maior literarum falsator, quam qui arcanam Epistolam contra Domini eius scientiam & voluntatem aperit, vel alieno dat.* Aut si eius Germanica, quod in ijs energiæ plus forsan sit, malis, bonâ eorum, quibus ista linguarum non placet permixtio, veniâ transcribere non grauabor. **Dieb ist ein Dieb / er sey ein gelt Dieb / oder brieff Dieb. Vnd ein kleines darnach. Kein grösser Brieff-fälscher ist auff Erden / dann wer einen heimlichen Brieff / wider wissen vnd willen seines Herzn offenbaret / oder einem frembden zu eigen macht.** Habet ibidem generis eiusdem alia complura. Sed hæc apud

[2] *In l. qui testamentũ amouent. ff de leg. Corn. de fal. seu D. li. 48. Tit. 10. 2.*

[a] *Luther. Tom. 9 Witenb f. 292. & 293.*

pud humaniores, quia sũt acerbiora, nimis etiam fortasse multa. Quia tamen tam libenter literas nostras aperitis, ex te scire velim, quis tuus ea in re sensus? Quid spectes? an vt alieni nouique cognoscas aliquid? Nimiæ id curiositatis est: nimij à re sua ocij. Scin' quid [b] *prisca Locrensium lex?* Ab alio absq; iniuria vlla solo verbo quærere, *quid noui?* capitale fuit. Quid alienas eam ad rem schedas cõpilare, annulos aut ceras refringere? [c] *Culpa est*, ait iuris regula, *immiscere se rei ad se non pertinenti.* Turpe est, si prædicantes [d] *alienæ*

[b] *Plut. lib. de curios.*

[c] *ff. de diu. regul. Iur. l. 36.*

[d] *Iuuenal. Satyr 3.*

*Scire volunt secreta domus atq; inde timeri,*
*Perq; nefas quærunt toto quid fiat in orbe,*
*Quid Seres, quid Thraces agant.*

*Rogamus*, ait Apostolus, *vt operam detis, vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis.* Iterumq; cum Thessalonicæ quosdam *curiosè* agentes inaudisset. [f] *Iis*, ait, *qui eiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in D. Iesu Christo, vt cum silentio operantes, suum panem manducent.* An ne contra vos machinentur aliquid litteræ metuis? In tanta Imperii sacri principum coniunctione, in nulla vel minima bellorum suspicione, nimi[h] est ille metus, nimia timiditas Nosti de quibus dicat [g] Regius Propheta. *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Apud Iuris prudentes,

[e] *1. Thess. 4. 11.*

[f] *2. Thess. 3. 12.*

[g] *Psal. 13. 5. Psal. 52. 6.*

h L. 184. ff. de Reg. Iur.

h *Vani timoris Iusta excusatio non est.* Pulchrè ac sapienter monuit Claudianus.

i In 4. Cons. Iul. Honorij.

i *Rumorum ne auidus. Qui talia curat, inanes*

*Horrebit strepitus, nulla non anxius hora.*

Cum tamen expenditur, à vobis literas, ne quo tendebant, peruenirent, impeditas, isthic apertas & notulis aspersas, sicque ad REV^mum & ILL^mum nostrum *Aschaffenburgum* missas, apparet vel cum duabus positis iam causis, vel absq; iis, huc vos collimasse, vt mihi, aut per me, Societati nostræ, ipsisque adeo antiquæ fidei sectatoribus, è verborum, si liceret, quorundam tendiculis Calumniam struueretis. Et hoc prioribus illis multo grauius. Seria & clara Vetantis Dei vox est. k *Non facies Calumniam proximo tuo.* Et magno in Vitio eam ponit è Prophetis, qui dicit, l *Chanaan in manu eius statera dolosa, Calumniam dilexit.* Sed *bene habet*, inquit, S. Hieronymus, *quod malitia non habet tantas Vires, quantos conatus. Perierat innocentia, si semper nequitiæ juncta esset potentia: & totũ quidqd cupit calũnia, præualeret.* Vt ergo cognoscas, scopo isto excidisse vos, frustraque cum *Geraritis*, de calumniæ puteo, aduersus *Isaaci* pastores corrixari, de meis tantum, non de aliis quibus eædem iniectæ compedes, literis exponam. Habent aliarum illarum Domini ætatem,

k Leu. 19. 13

l Hosea 12. 7.

&

& si quando iis consultum videbitur; loqui possunt. Dom certe *Iustũ Baronium* ne huius quidem consilii scriptionisq; meæ conscium studiò volui, ne forte ipsi apud vos essem *vnguis in vlcere*. Licet enim de ipso tu pro concione, quam alii quidam humanius, prout ex eorum, qui assiduas tibi aures prebent, vno eoq; vt opinor, minimè futili audiebam, continere te tamen haud potuisti, quin eius ad catholicam Ecclesiam accessum in alias potius, quam in veritatis, æternæq; salutis amorem, causas conferres. Sed vsitata hęc iam in omnes, quos ab erroribus vestris reuocat pater Luminum, miserator & misericors Dominus, criminatio, neq; tamen noua. Cum n. *Manichæorum* hęresin detestatus S. *Augustinus* ad Catholicos transiisset, quas non illi vanitimoris, vanæque gloriæ causas finxerunt? lege, si libet, vel vnam ad illum *Secundini Manichæi* Epistolam, aut potius, quæ in libri contra ipsum principio ipse sanctus respondit. [m] *Tristis*, ait, *sum, quod tenaciter in hæsisti suspicionibus falsis, partim aduersus me, partim aduersus ipsam, quæ mutari non potest, veritatem.* Et paulo post. *Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accusat.* Iterumq;. *Non bona de me suspicatus es, quod carnali timore alicuius incommoditatis, quæ de vestra Societate mihi accidere*

[m] S. Aug. lib. cont. Secund cap. 1. & 2.

*dere poterat, hæresin Manichæorum relinquerem, vel cupiditate honoris.* Eadem aut certè similia vobis respondere posset non D. *Iustus Baronius* tantum, sed alii etiam tot & tanti, quos ab Ecclesia vestri abstulerant errores, & ad eam nunc immensa Dei bonitate & gratiâ, non in *Germania* tantum, sed *Polonia* etiam & *Gallia*, vbi præcipue Christianissimi Regis eminet, stellarumq; aliarum chorum ducit exemplum, reuertuntur. Verum ad meam venio epistolam, & in ea primo ipsa occurrit Epigraphe, quæ isto se modo habuit.

*Reuerendissimo & Illustrissimo D. Cæsari Baronio Amplissimo S. R. E. Cardinali Romæ.*

Clamabant hæc omnia neque *Heidelbergæ* neque *Neostadii*, neque in toto *Palatinatu* quenquam esse, ad quem hæc mitteretur Epistola: ideoq; in ista quidem ciuili, communique Germaniæ ac Italiæ pace ac tranquillitate, à nullo eam ibidem frangendam & lustrandam. Flagitabat hoc etiam Reuerendissima & Illustrissima eius, cuius scriptum nomen, dignitas, Sanctitas, & virtus eximia. Aut si apud vos vilia hæc, eo saltem in loco, vbi Academia est, ea in vrbe quæ literarum altrix, vetusque sedes; valere aliquid debuit egregia viri illius tot tantisq;

tisque in lucem editis operibus testatissima eruditio. Apud alios sanè,

——[n] *Ingenuas didicisse fideliter artes,*
*Emollit mores, nec sinit esse feros.*

[n] Ouid. 2 de ponto. Epist. 9.

Quanto apud Academicos magis? Visum multos in locis non raro, vt doctorum in doctos homines, etiam absentes & de facie ignotos tantus extaret amor, humanitas tanta, vt quos vidissent nunquam, diligerent, omnique si possent officio prosequerentur. Indoctum verò te si quis diceret, iniuriam opinor tibi fieri putares. Imo etiam fortasse, si quis ignotum, inuisum, vel inauditum tibi *Baronium* affirmaret. Quomodo n. eum, cui Ecclesiæ antiquæ notissima esse debet facies, lateat præstantissimus Ecclesiasticæ antiquitatis scriptor, tot in locis, & toties iam cusus & recusus? præsertim cum è vestris, quib⁹ alia tamen studiorum Sparta est, eum legerint interdumq; commendarint aliqui. Dominum vestrum *Freherum* in suo *de census numismate* tractatu omitto: *Iosephus* certè *Scaliger* in Correctionis suæ correctæ Prolegomenis de ipso ita; *Vir eximia doctrina Dominus Cæsar Baronius, Annalium Ecclesiasticorum scriptor.* Et postea sæpius, *doctus, & erudissimus Vir.* Quid, quod in eo aliquid se vidisse, in suarum contra nos calumniarum farragine, indicat Celsizans & Lucianizans *Lapis* vester?

vester? Æquissimum igitur erat, te tantum Caluinianæ Theologiæ professorem, Prædicantem, & Superintendentem, quæ tanti viri essent, literas iniuria nulla violare: aut si qui violare alii voluissent, cum illo, cui apud Poëtam inermis dextra, legumque amor; exclamare.

o Aeneid. 11 ° *Quo ruitis? quaue ista repens iniuria surgit?*

*O Cohibete iras!*

p 2. Tim. 2. 20. Si autem cur ad eum ego, qui in p *magna Dei domo* vile ac inhonorum vas sum; scribam, & quidem tam pœnè familiariter; quæras: Scito eum à pluribus iam annis, p eximia sua erga omnes humanitate me nullo meo sanè merito, ad amicorum suorum, quos vbique habet plurimos; album aggregare dignatum fuisse: idque percrebris ad me literis priuatim, suis etiam doctissimis voluminibus publicè, omnibusque beneuolentiæ amicitiæq; symbolis ante & post *Cardinalatum*, non leuiter contestatum feciisse. Non est, non est mi D. *Tossane*, tanta in Ecclesiæ principibus arrogantia & fastus, quantum vos ex vmbonibus vestris interdum declamatis. *Ad populum* scilicet *Phaleras*. Verum in Epigraphe ista cum quod calumniæ pateat, nihil: multa vero sint, quæ ab iniuria magno illi viro, præclaro seculi nostri ornamento inferenda men-

tes

tes manusque vestras arcere debuerint; Videamus, an intro in ipso earum literarum penetrali latuerit forte quidpiam. Tria earum fuisse capita legisti. Primum erat de Domino quondam Caluiniano *Iusto Baronio* Alterum de Clarissimo Viro Norinburgensi Patricio Do: *Carolo* **im hoff**. Tertiũ de quodam Græcæ ac Hebraeæ linguarum gnaro hæretico. Primum christiana dictauit charitas: secundum cum eadem charitate vetus amicitia: tertium prudentia. In primo, cum variè tum & acerbè à vestris vexaretur D. *Baronius*, opis ei & consolationis aliquid afferre studebam laudabam *Admodum Rdũ & Nobilẽ Dõm Metropolitanæ huius Ecclesiæ Decanum*, ob magna & illustria in illum merita: ostendebam è Pontificia munificentia solatii fructusque plurimum iam acceptum, è commendatione verò, quam ad Reuerendiss^m. & Illustriss^m. nostrum dederat; sperari consimiliter non parum. Quod et propter insitam virtutem atque clementiam, & propter insignem erga Apostolicam sedem, *cuius Moguntina Ecclesia specialis filia* dicitur, obseruantiam, bona boni principis mens esset. Quod ad alterum attinet; Dominus illi *Carolus*, sua in patria, inter ciues, propinquos, affinesque suos, arctum & diuturnum iam inde à Paschate, solius Catholicæ religionis causâ

sâ, perpetiebatur carcerem. A pluribus verò annis, cum hæreseon auia deserens rectam veteris fidei viam inijt, mihi cum eo maxima esset cœpit necessitudo. Ipsum tam duro tristique tempore, tam bona in causa, tantaque innocentia deserere, amici non fuisset. Cum meo igitur S. Paulo, [q] *memoriam eius faciebam in orationibus meis,* [r] *sine intermissione* [s] *memor operis fidei eius, & sustinentiæ spei D. Nostri Iesu Christi, ante Deum & patrem nostrum*, idemque ab aliis pluribus fieri rogabam. Tandem verò mihi etiam, quod mendicis licet omnibus, persuasi, vt humanam ab iis opem & auxilium peterem, quos & pro summa sua dignitate & auctoritate posse aliquid: & pro intensa sua erga Deum & homines charitate, insignique beneuolentia & bonitate velle, certo scirem. In his verò, quid ni Reuerendiss^us & Illustriss^us de quo supra, Cardinalis *Baronius*? Opem tamen & auxilium petebam, non aut violentum, aut vllo modo turbulentum, ciuitatique illi, quam ex quo tempore vidi primum, semper dilexi & colui, molestum & graue: absit. Sed inter amicos etiam vsitatum, placidum, & eiusmodi, quod ne barbaria quidem vlla improbaret. Verbi causa, vt *Augustum Sacri Imperii caput rogaretur* (meum hoc verbum erat) vt iuberet *legitimo* (& hoc meum) illum

*modo*

q *Ad Philem.* 4
r *2. Tim. 1. 3.*
s *1. Thess. 1. 3.*

*modo* à Senatu illo accusari, eique ad ea, quę obiicerentur respondendi potestatem fieri. Nam & hoc latrociniorum, scelerumq; omnium conuictissimis, apud tribunalia concedi passim videmus: & ad S. Paulum olim dicebat Agrippa, [t] *permittitur tibi loqui pro temetipso.* De Tertio autem capite sic se res habet. Hæreticus ille cuius libens & tum peperci, & nunc etiam parco nomini, sæpè mihi dixerat, cupere se *Italiam* visere, Ipsi etiam, si quidem liceret; Pontifici, ex Hebræis Rabbinorum commentariis contra perfidiam Iudæorum, aliorumque (semel *Caluinistas* nominauit) cæcitatem, operam nauare. Commendaram ergo aliis quibusdam prioribus literis huic ipsi Reu^mo Cardinali hominem, & quæ ipsi vel natura, vel studium & labor dederat, literaturæ alicuius talenta, quantum verè amiceque poteram, laudaram. Ne tamen mea hæc laudatio, si quæ itineris adiumenta poscebam, impetrassem, aut sacrosanctæ fidei sinceritati, aut ipsius D. Cardinalis expectationi fraudi esset, visum fuerat, non quæ scripseram reuocare, sed quæ penitiore postea introspectu & experientia deprehenderam explicare. Idem verò, ne & hoc nescias; hæreticus superiore hoc ipso Nouembri litteras adhuc ad me dedit, quibus de suis cum Reu^mo Cardinale *Bellarmino* studiis

[t] *Actor.* 26. 1.

agi optabat. Habes capitum, quæ in illis meis inerant;& occasiones & causas. Quid in iis verò, propter quod leges naturæ, Dei, gentiumque omnium perrumpendæ fuerint? Quid? è quo vel criminatiunculam ipsa exsculpat Calumnia? Quid aut contra te, aut tuorum vllum? Nam iste, de quo iam aliquoties; hæreticus, neque Lutheranus, neque Caluinianus, neque purè putè sectarum earum, quæ his in oris apud nos palam vigent; vllius est. *Lutherus* ei crassus & rusticus est: *Caluinus* in scripturarum diuinarum expositione, stupidus & inconstans: *Beza* indoctus & penè infans. Alia taceo. nonne fugientem è Mesopotamia Iacob imitari iam possum, tibique minus quam habuerit Laban, causæ habenti dicere: [a] *Quam ob culpam meam & ob quod peccatum meum, sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem suppellectilem meam? Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? Pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis: & iudicent inter me & te*: Iudicent sapientiores doctioresque, & indoctiores omnes è tuis Prædicantibus, Theologis, Academicis. Quosdam enim quibus non Cornea fibra est, adhuc apud vos noui. Vel potius, quoniam priua est mea hęc epistola, & inter nos soli tantum agimus, iudica tu ipse, fieri ne à vobis debuerit, quod factum est. Et iudicare melius

[a] Genes. 31. 36.

melius vt possis, percurram ea breuiter, quę vel à te vel ab alioaliquo (nihil n. de hoc audire potui) in exemplo, quod à nobis aduenit, minio subnotata erant. Ea enim potissimum sunt, quæ in inuidiam & odium trahere, atroque si licuisset, carbone deformare voluit maleuolentia: & ad solum è tribus antea positis epistolæ capitibus primum pertinent. Sunt autem numero quatuor. Quorum primo est etiam in margine præfixa notula hæc, *n c.* Sed in qua Dauus ego, non Oedipus. Illud verò in hisce verbis est.

*Vxorem verò ipsius ac liberos dimittere ad ipsum nolunt Heidelbergenses.*

CVM Epistolam illam scriberem XII. Calendas Semptembris, ita prorsus erat. Etsi enim postea Illustrissimi Electoris clementissimo annutu & benignitate, tam vxor quam liberi ad *Baronium* dimissi sunt, nondum tamen tunc libellum supplicem acceperat illi⁹ Celsitudo, & ab *Ecclesiastico* interim, vti apud vos nominatur, *Senatu* bona illa crebrius vocabatur & examinabatur fœmina, idque etiam aliquandiu, prout ego quidem audiui, post optimum & clementissimum ipsius Illustrissimi Palatini responsum & concessionem. Alterum in istis est.

*Ad Reuerendiſſmum & Illuſtriſſimum nouum Electum noſtrum.*

HIc quæſo peccati quid? nihil video, nihil ne ſuſpicari quidem poſſum. Nam reuera erat *Reuerendiſſimus*, & *Illuſtriſſimus* erat etiam *Nouus electus*, & erat *Noſter*. Quę Argiua hic igitur calumnia? forte id eſt, quod *Confirmatum* non addiderim. Sed in litteris, latinis præſertim, non ſemper ſolent integri Dominorum tituli recenſeri. Et vt recenſerentur, nondum tunc, vti modo, *Confirmatus* dicebatur. Tertium eſt hoc. *Niſi bonam boni principis mentem, quædam fortè quorundam conſilia & voces impediant.*

HOrum cauſa ſententiaque verborum eſt. Aiebam de Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, Dominique noſtri benefica in *D. Baronium* voluntate bonam concipiendam ſpem, quia & bonus eſſet princeps, & bona eius mens. Quia tamẽ occupatiſſimis, variaque rerum momenta penſitantibus, ea etiam interdum, quæ maximè vellent, vel excidunt, vel aliud in tempus differuntur, oſtendebam, ſi quid huiuſmodi fortè iam accideret, id malam in partem à nullo interpretandum, neq; Principis bonitati, ſed alijs potius impedimentis aſſcri-

assc̃ribẽdum. Verbi causa, quibusdam quorundam fortè consilijs & vocibus. Licet enim qui Principibus loquuntur, vel consilia dant, integri boniq; viri sint, de eâdem tamen re non eadem semper sentiunt & dicunt: initio maximè, cum subito quid agendum, aut loquendum. E varijs n. rerum circumstantijs aliæ alijs, vt alio atq; alio modo iudicent, occurrunt. Quid atra hæc ergo rubrica significat? an mentiri me, cum *bonum principem* appello *bonamq;* ipsius *mentem* scribo? E rubricatoris ergo sententiâ *malus* ille, & *mala* ipsius *mens*. At hoc ipsius Principis abuti patientia foret, eas ad eum litteras remittere, quæ hoc ipso nomine mendacij accusarentur, quod *bonum* illum, *bonumque* ipsius *animum* prædicarent.

An nimis parum tribuere, cum impediri posse insinuo? At hominem à nullo impediri posse, supra hominem est. Non vult tantum sibi tribui, quisquis sapit mortalis vllus. An adulari, quia eius laudo bonitatem? at certè apud alium & remotissimè quidem à Rdiss° ipso disiunctum loquebar: neque futurum vnquam putabam, vt meæ à vobis harpagarentur literæ, ad illiusq; Celsitudinem mitterẽtur. Et sanè multo aliâs, & alijs plura & maiora scripsi, quia penè à XX. annis, cum ad meliorum literarum studia

incumberet adhuc adoleſcens ; præclara mihi eius indoles perſpecta : Sed ita vt exigui quidem, debiti tamen huius officij mei nihil hactenus à quoquam reſcierit: neque adhuc reſciſceret, niſi vos, nocere dum vultis, noſtram erga eos, quibus debemus obſeruantiam in lucem efferretis. At fortaſſe horum nihil Rubricatori meo in mẽte fuit: ſed hoc vnum tantummodo, de me, velut impio, clamare: [x] *Blaſphemauit*, quia *bonum* ait ſuum principem, contra ipſam ſcripturam, quæ dicit: [y] *Vnus eſt bonus Deus*. Et in alio Euangeliſta, [z] *Nemo bonus, niſi ſolus Deus*. Eo enim argutandi modo Catholicos omnes blaſphemię reos nõ rarò facitis, quod ab ijs Beatiſſima Deipara, *Vita, dulcedo, & ſpes*, ſancti verò, qui beato iam in cœlis æuo perfruuntur; *Mediatores* vocentur. At ſanè alibi in eadem ſcriptura inuenitur *bonus homo, bonus & rectus corde, bonus ſeruus, bonus miles, bonus diſpenſator, bonus paſtor*. Sed miniatori meo illud ſatis: [a] *Bonus homo de bono theſauro profert bona: & malus homo de malo theſauro profert mala*, vt alienas literas, ſuaſque calumnias proferre deinceps deſinat. Sed quemadmodum aliter Deo & Chriſto Ieſu D°. ac S^i. N°. conuenit *mediatio, vita, dulcedo & ſpes*: aliter B. Virgini & Sanctis: ita etiam *bonitas*, prout doctiſſimè grauiſſimeque more ſuo expoſuit in [b] *octauo de Trini-*

x Matth 26 65.

y Matth. 19 17.

z Marc. 10. 18. Luc. 18. 18.

a Matth. 12 35.

b D. Aug. 18 de Trin. cap 3.

*tate*

*tate* S. Augustinus. Quartum deniq;, quod minio rubefactum fuit, est hoc. *Quoad extracta vxor & liberi sint, tempus tacendi.*

Vix tandem etiam, cum citius Illustrissimi Electoris Clemens benignaque natura missionem annuisset; abeundi potestatem feciſſe illum, qui *Ecclesiasticus* isthic vocatur; Senatum, supra iam exposui: & si quod interea verbulum mutijsset *Baronius*, nonne remoras *Senatus* ille plures iniecisset? Monebat igitur [c] Ecclesiastes, *tacendi* tunc esse *tempus*. Nomen verò quod mutare statuerat, in causa erat insignis Catholicorum multorum zelus, apud quos *Lutheri, Caluini* & similium adeo execrabilia nomina sunt, vt suorum nulli vellet imposita. Quis aut sibi, aut suorum alicui proditoris *Iudæ* nomen vellet? Qui Aristocratiam olim oderat, *Aristocratem* non ferebat, & vti habet puerbium; *Scelly filium abominabatur. Scitis*, ait in Corinthiam priorem S. Chrysostomus, *nos ne audire quidem velle eorum nomina, qui sic* (in rebus quæ ad salutem spectant) *decipiunt.* Vix possum, quin ad *Iacob* nunc meum redeam, & cum in verbis meis nullum vlli calumniæ locum esse monstratum sit, eum rursus imiter, & dicam. [d] *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi, forsitan nudum me dimisisses.* Erepta scilicet non tam mihi, quam per nomi-

[c] Cap. 3. 7.

[d] Genes. 31. 42.

nis mei occasionem, Societati nostræ fama, omnique apud Reuerendiss^m. nostrum, & sapientissimos eius Consiliarios, gratia. Sed

[c] Psal. 63. 3. & 4. & seqq. [c] *protexisti me Deus à conuentu malignãtium, à multitudine operantium iniquitatem. Quia exacuerunt, vt gladium, linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum. Narrauerunt vt abscõderent laqueos: dixerunt, quis videbit eos? scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio.* Quid est mi *D. Tossane*, cur nos tantopere oderitis? cur in nobis, nostrisque reculis adeo iuris omnis, & naturæ, & gentium, & publici, priuatique obliuiscamini? cur in nostra tam curiosè maligneq; inquiratis omnia, & ex innocentissimis etiam verbulis, literarumq; apiculis assiduos nobis laqueos texere connitamini? *Germanica* certè natura facilis & placida est: institutio neque agrestis, neque absque literis. Vna vna vos excæcat hæresis: Vna efferat, odioq; in nos tanto inflammat. Vna hæc efficit, vt per fas & nefas, apud summates, infimates, doctos indoctos, iuuenes & senes, verbo facto, clam palam nos in odium, inuidiam, & exitium rapere, noctes & dies cogitetis & adlaboretis. Vestros quidem errores detestamur, & vos fieri si posset, ab ijs [illegible] nter liberaremus, attamen neq; literas v[illegible]am vestras intercipimus, neq; ali-

am

am vllam vobis iniuriam inferimus. Quia verò si qui è vobis, siue Prædicantes, siue Professores, siue discipuli, ea in loca, vbi sumus, in nostra ét *Collegia* veniãt, non modo non repellimus, sed qua possumus humanitate ipsos, quod ferè vnum cupiunt, in armamentaria nostra (bibliothecas dico) deducimus: loqui aut differere si velint, audimus: si nolint, non cogimus, comiterq; omnes dimittimus. E vestra, & alijs Scholis & vrbibus non paucos tam vestræ, quam Lutheranæ opinationis interrogare, si quidem velis, potes. At siquis ad vos nostras defert Epistolas, illicò, quasi ad muros *equus* adesset *Troianus*, illas aut Neccaro[f] *præcipitare*, *Aut terebrare cauas vteri*, *& tentare latebras*, oportet. Quanto foret mi *D. Tossane*, satius, vos paulatim post tot & tantas dissensiones, post tot Christiani orbis clades & dilacerationes; cogitare quæ pacis sunt & charitatis: Non porro exasperare semper omnia, tantisque animorum plagis muriam perpetuo & calcem inspergere. Idque publica humanæ naturæ, Christianæ charitatis, communis pacis præscripta post habendo & infringendo. Nam cum semper aliàs, tum hoc præsertim tempore, quando ad communem ab Hungaria, Germaniaq; *Turcicum* hostem propulsandum, subsidia tanta, milite pecuniaque fert Ecclesia Romana

[f] Aeneid. 2.

mana, iustum & probum cum Romanorum, Cardinaliumque literis bellum vobis quod nam esse potest? Et sanè de Illustriss°. Electore ac Dn°. Vestro, de totaque ipsius ditione meremini modo isto non optimè. Cum enim illius ad mansuetudinem, humanamque societatem ingenium constet propensissimum, cumq; ipsius Celsitudini subditos populos finxerit naturæ parens minimè sæuos ac truces, vos dira in alios etiam absentes, designando, efficitis, vt feritatem hic suspicari, secumq; si non apud alios, exclamare queant exteri:

g Lib. 1. Aeneid.

g *Quod genus hoc hominum? quaue hunc tam barbara morem*
*Permittit patria?*

Videre in Germania est ita moratas ciuitates, vt si quas fortè alicubi vel abiectas, vel amissas ciuis quispiam inuenerit literas, eas is, prout inuenit, obseratas ad Senatum ferat, hic pari modo ad eos, quorum sunt, destinet. Vt nescias, vtrum eius, qui abiecit aut amisit, perfidiam & iniuriam magis detestere, an huiuscemodi ciuitatum humanitatem & iustitiam admirere. Vos verò neque abiectas, neque amissas vltrò quæritis, rapitis, resignatis, reseratis: neque ad earum dominos postea saltem ire finitis, sed calumniæ sanguine rubricatis: & peccati vos vestri pudere cum oporteret, id etiam

iam apud summos & sapientissimos homines, quasi præclarum quid sponte indicatis & prædicatis: ad illorum videlicet exemplum, de quibus propheta: [h] *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.* Neque tamen satis decuit de tantulis rerum nostrarum minutijs Rdiss°. & Illustrissi°. nostro à vobis exhiberi negotium. Maior maiorum negotiorum magnis imperij columnis impendet moles, quam vt ad Epistoliola nostra, vestrasque suspiciunculas, & criminationum aucupiola celsas illas mentes deuocare oporteat. [i] *Non vacat exiguis rebus adesse Ioui.* At Ioue maiores hi. [k] *Scimus* enim ait Apostolus, *quia nihil est Idolum in mundo.* Qui verò nostris vos beauit literis homo, sponte ad vos sua venit; an ad nos à vobis subornatus, summissusque fuit? si prius: decuit sanè Theologum & Prædicantem eius infidelitati ac nequitiæ non assentiri: sed aut hominis egregiè impudentiam corripere: aut fidem & officium, quod ijs, quorum essent Epistolæ, deberet, eum docere: aut certè minimum acceptas ab eo literas, violato sigillo, non euoluere: multo magis nullam ex ijs nocendi causam quæritare: neque ad occupatissimum Imperij Principem & *Septemuirum* eas ablegare. Cum à te, vti quidem narrabat; hac adolescentior Geneuensis

h Isai 3 9.

i Ouid li. 2. Trist.

k 1. Cor. 8 4.

*Goulart*

*Goulart* iter haberet, si clausas signatasque tuas habuisset, eas (dicere ausim) violare aut inspicere nostrum nemo ausus fuisset. Sin verò posterius, vt eum ad nos hominem summiseritis; quid dicam, nisi, parcat vobis Dominus! Quorum tanto, tamq; furenti erga nos imbutæ mentes odio, vt non solum agatis ipsi malè, sed alijs etiam male agendi, plurima fingendi, & mentiendi auctores sitis. Nam ille quidem personatus *Sofias*, Catholicum se aiebat: fuisse olim hæreticum, sed è summis, quas grauissimis de rebus inter *Iunium* & alium nescio quem Prędicantium alpha perspexisset, dissensionib' ac litibus, consilium Ecclesiasticæ vnitatis cepisse: Romam ijsse, ibidemq; omnes hæreses eiurasse. Illinc, ob certa quædam negotia, in Belgium redijsse: Romam tamen iterum iam cogitare. Si quid quis eò vellet, libenter se ac fideliter, citoq; perlaturum. Aliaque id genus plurima, varijs cum testificationibus: quorum tamen non nisi particulam, cum distinerer alijs; audire potui. Supplicio dignos pronunciat Apostolus, non eos solum, [l] *qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Et alibi, cum dixisset, *Fructus lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate*, subiunxit, [m] *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum: magis etiam redarguite.* Redarguendi verò par-

[l] *Rom. 1. 32.*

[m] *Ephes. 5. 11.*

partes, cui potius, quam qui concionibus populum tenet, Superintendenti congruunt? Atque hæc etiam mihi, vt de iniuria ista paulo tecum agerem copiosius, causa non postrema. Sic enim statuebam. Cum in *D. Tossani* manus mea illa venisse scribatur epistola, vel ipsus est, qui eam resignauit, excussit, miniauit, R.diss° & Illustriss° Nostro, calumniandi causâ, misit, vel alius. Si ipsus: eum post monitionem hanc facti pœnitebit, & ab huiuscemodi deinceps flagitio cauebit. Si alius: eum ipse his ijsdem, aut consimilibus alijs rationibus, pro gradu & auctoritate, quam apud *Heidelbergenses* obtinet, prudenter ac vtiliter monebit & arguet; dabitque operam, vt ingeneratorum à natura societatis humanæ, vinculorum, iustitiæ, pacis, charitatisque Christianæ maior deinceps cura sit: resecetur indecorarum & pernicioſarum litium seges omnis: consulatur nomini & famæ tanti talisque principis, quantum & qualem vniuersa scit & colit Germania: nulla eiusdem Principis amplissimis, celeberrimisque ditionibus, quasi pacis & belli nullum in ijs discrimen, nulla diuini humaniq; iuris ratio sit; macula inuratur.[n] *Si* enim, ait S. Ambrosius, *in bello iustitia valet, quanto magis in pace seruanda est?* Hoc age, mi D. Tossane, [o] *iusta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa*

[n] *D. Ambr. l. 1 offic. cap. 29.*

[o] *2. Tim. 4. 2.*

*crepa in omni patientia & doctrina.* Sanam hanc,& ex ipsis naturæ diuiniq; verbi haustam fontibus doctrinam sustinebunt, quibus honestas & decorum cordi: neq; [p] *a veritate auditum* auertent. Verè tibi & ex animo dico, si quid esset, quo in Domino tibi, tuisque vllo modo gratificari & seruire possem,facerem libentissimus:neque pro iniuria,iniuriæ minimũ velim reponere. Quod idem ferè de Reuerendissimi ac Illustrissimi *D. Cardinalis*, in quem multis partibus, quam in me [q] *canem*, vt cum Dauide dicam, *mortuum, & pulicem vnum*, maior iniuria est, candidissimo pectore, mitissimoq; animo polliceri ausim. Est enim ille nõ excellenti doctrina tantum,sed rara etiam virtute, Christianaq; charitate,modestia,&mansuetudine ornatissimus.Cuius causâ maiorem è malefacto vestro, quam si in me solum admissum foret, dolorem hausi. Fuerit autem æquissimum, quod cum eum tibi mea hac Epistola patefacere, de eoq; apud te vnum, non conuitijs, sed scripturis, non contumelijs, sed argumentis queri,teq; admonere voluerim æquo pacatoque accipere animo: præsertim cũ de re, non de te quidquam voluerim dicere acerbius. Quia verò Autographum adhuc meum retinetis,abs te peto, vt vel ipsi,cui erat inscriptũ & missum, Reuerendissimo *Cardinali* mittatis,

[p] *Ibid. 6. 3.*

[q] *1. Reg 24. 15.*

catis, vel mihi quam primum licuerit; remittatis. Quod si tantum vos nostras habēdi literas tenet desiderium, en istas iam habe: quas quia tibi scriptæ & inscriptæ, tuo absque cuiusque iniuria lubitu, adapertias, reueles, concerpas, & attribeas licet: sique velis, alias deinceps, Deo propitio, habere plures poteris: sed in vtiliori, meliori, & suauiori argumento malim. Deus pacis, & qui gentes in vnitate fidei congregauit, spiritus nos nimium quam alios ab alijs diuisos & distractos, iterum aliquando in Sanctissimo Christi Iesu D. ac S. N. [r] Corpore, quod est Ecclesia, illa vtique quæ [s] *vna, sancta & Catholica* est; coniungat: veraque animorum consensione, concordi fide, & charitate non ficta, mutuo compingat & conglutinet, vt omnia deinceps faceſſant scandala, calumniæ, quadruplationes & quæ ab Apostolo vocantur [t] *opera carnis, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, & his similia, quæ*, ait, *prædico vobis, sicut prædixi: Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei, non consequentur.* Vale. Moguntiæ M. DCI. Nonis Decembribus.

[r] Coloss. 1. 18.

[s] Symb. Constantinop.

[t] Gal. 5. 19. 20.

*LIBRI SECVNDI EPISTOLARVM FINIS.*

*IVSTI*

# IVSTI BARONII VETERACASTRENSIS EPISTOLARVM SACRARVM LIBER III.

## EPISTOLA I.

### IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS, Danieli Tossano Academ. Heidelb. Professori.

*Acteuerit has & sequentes literas infelix Tossani mors. Itaque etsi transmitti non potuerunt, quia tamen vere scriptæ, omnino hic inserendæ videbantur*

QVID mihi tecum est? *Tossane.* Imo verò, quid tibi mecum est? Adeonè furiæ hæreticæ mentem tuam exagitarunt, vt cum pro ingenii mei tranquillitate, extra causam quę publicè proposita est, nullo vel minimo à me verbulo lacessitus, irritatus aut prouocatus fueris: tamen ex quo ruptis & derelictis pestilentissimis laqueis vestris, Catholicæ Ecclesiæ gremio, serio pietatis affectu, nulla fraude aut simulatione me condidi: tu tamen (vt audio) partim pro concione, partim pro lectione, partim denique, quas ipse vidi, litteris nullum mei traducendi, mei calumniandi, mei proscribendi, grauissimis deniq; iniu-

iniuriis & contumeliis lacerandi finem facere queas? An ita constitutum habes, vt in obuium quemque arietandum tibi putes, qui vel Catholicus sit, vel Catholicus fiat, Pontificemque Romanum, supremum militantis Ecclesiæ caput, iure consuetudineque maiorum veneretur? Næ si tu hoc animo es, miserum te! miseram conditionem tuam! Franges citius caput, cum omnibus manipularibus tuis, quam nobis vel minimum plagæ signum impresseris. Hic enim [a] *lapis ille angularis, probatus, pretiosus, in fundamento fundatus: super quem qui corruerit, confringetur; super quem verò lapis ceciderit, conteret eum.* Et quemadmodum [b] Magnus Leo scribit. *Quisquis huic Sedi principatum existimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ semetipsum in inferna demergit.* Profectò miramur, & ridemus impotentem iram vestram & *Ingentes angusto in pectore ventos.* Sed vt dicere cœperã qd tibi mecũ est? *Tossane.* Vtrũ forte cum symmistis tuis tantum causæ vestræ, illius perquam ruinosæ præsidium in me collocaueratis, vt nunc spe falsi, expectationeque deiecti, tantos passim in omnium oculis motus tumultusque cieatis? Equidem imprudentes facitis, vt cum nocere cupiatis, emolumenti multum afferatis rebus meis, Catholicis-

[a] *Isai. 28. 16*

[b] *Epist ad Episc. Viennēs. prouinc.*

que noſtris perſuadeatis, non vulgare vos in me amiſſo damnum feciſſe. Quod ſanè ita à vobis beneficium accipio, vt eo me haud moleſtè etiam cariturum profitear. Sin (quod pudore dicere cogimini) nil neq; in me ingenii, neque doctrinæ, neque opis aut ſpei ſingularis fuit, quid fruſtra tumultuamini amentes? quid aulas, curias, templa, Scholas, compita, menſas rabioſis conuiciis impletis, meque homunculum vnum, tanquam nullum, tantopere amiſſum doletis? Leuis iactura, leuiter ferenda eſt. Nec quandiu veſter fui, hunc denegerem in vobis animum animaduerti. Videbamini lenes, videbamini patientes, magno interdum animo accepta etiam damna contemnentes. At nunc in me quid? Planè in contrarium verſi, totos vos abiectiſſimis affectibus mancipaſtis, iræ, inuidiæ, odio, maleuolentiæ, calumniis, obtrectationibus, mendaciis, & pluribus huiuſmodi malignis præſidiis aliis, quibus tabe luridos animos veſtros ſæpiuſculè cõſolari videmini. Negabitis ſcio. Sed res in procinctu eſt. Non ſolum prima die, qua à vobis digreſſus ſum, vt & cæteris huc vſque conſecutis fermè omnibus, infauſta illa *Prædicantium* ſoboles, hinc inde per vrbes & villulas ſine Muſis & gratiis infeſto ſydere graſſans, miſeriſque popellis ſub triſtiſſimo animarum

lato-

latrocinio, sub impurissimo humanarum argutiarum fermento, sub frigidissima quantulæcunque pietatis larua, repurgatum Dei verbum, reformatum Euangelium venditans: quam potuit acerbissimè nomen meum, famam, ingenium, consilia, conscientiam; & quicquid homo sacri habere potest, perstrinxit, clamoribusque suis cœlos & terras, superos inferos, catholicos hæreticos ita repleuit, vt nunc omnium quasi aures hac sola voce tinniant, *Veteracastrensis Apostata est, Veteracastrensis Baalis mancipium est, auro redemptus, ambitione deceptus.* Verum & tu, *Tossane*, tam belli dux que caputq; gregis, manifestariis huiusmodi fraterculorum tuorum telis & machinis haud contentus, tandem etiam ad insidias & stratagemata confugiendum duxisti. Ratusque nullam aptiorem mei opprimendi viam esse, quam confictis illis mendaciorum nebulis præ veritatis sole confestim semper liquescentibus & pereuntibus) litterarum mearum, quas me sæpe in vrbem dare aduerteras, secretis peruolutatis, dignam calumniæ ansam expiscari: vno tempore (heu scelus!) integrum fasciculum *Romam* destinatum contra omnem honestatem ac pietatem contra omnia gentium & naturæ. Iura intercepisti, resignasti, legisti, propalasti, ac ne quam cupiditati tuæ fraudem face-

res, miniasti, glossematis impiis aspersisti, *Aschaffenburgum* vt faculam incendii mei ad manus Ill^mi Archiepiscopi nostri transmisisti, aut saltem isthæc omnia perpetrantibus opem, operam, consensum præbuisti. Quo super immani facinore, non dicam Theologo, sed libero homine longè indignissimo, cum nuper tibi dicam scriberet Reuerendus & doctissimus Societatis IESV Theologus, *Nicolaus Serarius*, eiusdem mecum iniuriæ tuæ particeps, adeò nihil habuisti, quo te illiberalis culpæ purgares, vt etiam alligares grauius, noxiamque noxiæ adderes. Mea præsertim ex parte, qui cum neque scripsissem ad te, neque (quo minus camino oleum suffunderem) meo erga te Iure vti decreuissem, adeò tamen in omnibus Epistolæ tuæ partibus (quam hoc ipso mihi die legendam *Serarius* noster misit) abs te inhumaniter, mendaciter, ac calumniosè notatus, verberatus, ac flagellatus sum, vt si vel *Zenone* sim modestior, tamen isthæc petulantia tua me excitare, linguamque ad iustissimam defensionem laxare queat. Nec tamen de ipso interceptarum litterarū crimine quicquam dicere decreui. Dixit satis & abunde *Serarius*, dicetque (vt intelligo) pluribus. De tuis tantum in me conuiciis dicam, ostendamque vel rustica nimis simplicitate te esse, si me talem

esse

esse opinere, qualem me alii tibi fingunt: vel deplorata nimis malitia, si sciens volensque ipse innocentem tam mendacibus calumniis insectere.

Ac primum quod maturè satis à linea transiliens, cum tibi nominis tui defendēdi incumberet necessitas, id est cum grauissimum interceptarum litterarum crimen à capite tuo, propulsare deberes, missa defensione tua in nomen meum incurris, petulanterque scurratus, ludos ac iocos facis: quid aliud facis, maligniſſime hæretice: quàm quod omnibus manifestum inundantis liuoris tui, imo exuberantis stultitiæ & impietatis argumentū ante oculos ponis? Qui si iustam aliquā mei insectādi, aut culpandi rationem apud te inueniſſes, nunquam profectò ad hanc tam futilem atque insulsam ludificandi nominis aleam confugiſſes. Qua tamen, si verè rem putabis, non me magis quàm impium illum sectæ vestræ principem, Stigmatiam Nouiodunensem tangis, cuius cum manibus ego quoque te commisisse satis habebo. Nam me quod attinet, expecta: Breui hanc quoque tibi ludiam tollam, nomenque cum re abdicabo, vt non voce magis quàm corde ab impia Societate vestra videar quàm remotissimus. Atque hanc mihi potestatem Pontifex Maxi. [d] Imperator, Leges, te tuisque

[c] *Vide supra lib 2 Epist. 9.*

[d] *Diocletian. & Maxim. l. Gnic. C de mutat. nominis.*

que omnibus inuitis ac contra ftendentibus concedunt. De IVSTI verò appellatione quid etiam ringeris? an ea tibi trabs in oculo? At ego tibi DANIELEM non inuideo, quid tu igitur mihi IVSTVM?[e] Annis abhinc triginta ad ſacrum Baptiſmi fontem id nominis à Clariſſimo *Marpurgenſis Academiæ* Profeſſore D. IVSTO VIETORE accepi: toto ætatis tempore, puer, adoleſcens, iuuenis, in Scholis & Academiis, priuatim & publicè, ſine cuiusquam moleſtia aut contradictione vſurpaui: nec aliud album Academiæ veſtræ, aut, quam vocant, *Sapientiæ*, teſtabitur: haud aliud publicæ *ſub te ipſo Præſide* diſputatæ[f] iam pridem[g] THESES: haud aliud denique continuus Parentum, Præceptorum, fratrum, condiſcipulorum, vſus. Cui quod tu vnus poſt tot annorum luſtra inuide nunc reniti vis, vide quàm ſtultè, quàm petulanter ac malignè facias, quàm euidens exulcerati tui in me animi, acerbiſſimæ tuæ in me voluntatis teſtimonium publicè relinquas.

*e Anno 1572. Nonis circiter Martii.*

*f Anno 1592. 11. Martii.*

*g De ratione Indagandæ & cognoſc. veritatis. ex Iohan. 7. v. 17. 18.*

Sed de primo capite ſatis. Ad alterum venio, vbi *meis* ais *ſuggeſtionibus D. Serarium* FORTE *adſcribendum tibi incitatum fuiſſe*. Benè addis *forte*. Forte n. non ſic fuit, neq; ſic fuit: q̃ optima conſcientia teſtari poſsũ: ſanctèque tibi affirmo, me planè inſcio litteras ab eo ad te exaratas, eaſq; demum poſtea-

ſteaquam tranſmiſſæ fuerunt, mihi viſas lectaſque fuiſſe. Itaque planè fefellit te ſuſpicio tua. Quanquam ſi maximè hortatu meo hæc ad te Exprobratiuncula deuolaſſet, quid ab officio alienum feciſſem, qui non minus grauiter ac *Serarius*, imò verò grauius atque enormius à te læſus eram? Numquid tibi leuius proditarum litterarum crimen videtur, quàm vt exprobationis ferula caſtigari debeat? Aut tu is es, quē nemo noſtrum ſeuerioribus interpellare litteris debeat? Maximè, inquis: quia *ego* (ita enim porro addis) *ingratus, imò ingratiſſimus Palatini Principis alumnus & cliens.* Deum immortalem quid audio? Ego Ingratus? Equidem crimen illud vehementer horreſco, *Toſſane*: quod priſcis olim ſapientibus tanti fuiſſe video, vt Cicero [h] *nihil non mali in eo ineſſe* ſtatuat. Et [i] *Hippocratidas* Satrapæ Cariæ, qui per litteras ſignificabat, Lacedæmonium quendam conſcium inſidiarum ſibi ſtructarum, eas reticuiſſe, quærebatque, quid de eo ſtatuendum putaret, in hunc modum reſcripſit. *Si magno eum aliquo affeciſti beneficio,* INTERFICE. *Sin verò, ditione tua* EIICE, *hominem ob timiditatem ad virtutem ineptum.* Quamobrem igitur tu me tam infamis culpæ reum agis? *Toſſane.* An quia *Palatini Electoris* in me beneficia non agnoſco neq; profiteor? At tu falle-

h *Lib. 8. ad Attic.*

i *Plutarch. in Apoph. Lacon.*

ris manifestè: profiteor libenter, prædico, ac plus etiam laudibus istius Principis vndiquaque commodaui, quam tot ignaui alumnorum greges, quos magno quotannis sumptu vix æri campano, aut rusticanis Musis, aut si felicissimi sunt, vmbonibus declamatoriis pares effici videas. Et tamen hi gratissimi sunt, ego ingratissimus. Quamobrem? Quia vitam moresq; Principis vspiam perstrinxi? Non feci, *Tossane*, neq; vnquam facere animum induxi: quin tibi potius tuique similibus pro concione sæpissimè in Celsitudinem eius acerbius inuectis, grauiter indignatus sum, quos affectibus magis & priuata cupiditate, quam publicis commodis duci videbam. Qui nisi Principis bonitate tolerati fuissetis, video quam mercedem reportare debuissetis. Et vos tamen gratissimi, ego ingratissimus. Quamobrem? An quia sumptus stipendii non refundo? At tu nimium iniquus es alienorum debitorum exactor. Quis te quæstorem constituit, vt sumptus à me reposceres? Alius hæ curæ curiæ sunt, non cathedræ tuæ, quam si pro officio diligenter curares, non toties à studiosis disputans ridereris. Sed tamen ne hæc πολυπραγμοσύνη quæ omnibus fermè *Prædicantibus* instar fatalis scabiei adhæret, vt altero pede suggestum, altero tribunal premere gestiant,

ant, cor fortè tibi exedat, scito vnum quinquennium integri à me nouennii fidelissime gestis muneribus quasi duplo compensatum: scito Bibliothecam insuper meam, non quidem auream, sed nec triobolarem in vim (quod aiunt) plenioris compensationis Heidelbergensia adhuc claustra perpeti. Quid igitur habes, quo me vel minimæ ingratitudinis conuincas? *Tossane.* An quia abiecto *Caluinismo*, Catholicam fidem amplexatus, non solum *Palatinatui* operam meam subtraxi, sed & [k] *quæ antea ædificaui, destruo*; id est publicis libellis doctrinam & fidem meam pristinam retracto, omnes simplicitate à me seductos, à deuiis vestris ac præcipitiis reuoco, vestram authoritatem minorem, numerum discipulorum vestrorum breuiorem efficio? Scilicet hæc est illa scelerata mea in *Palatinatum* ingratitudo: quam omnes mihi sancti gratulantur, quam pietas suadet, quam vtilitas denique vestra comprobat. Nam vt verbis S. Pauli dicam: [l] *Si ego vobis spiritualia semino, magnum est si quondam corporalia vestra messui.* Nonne hac ingratitudine Christus & Apostoli Iudæos, Augustinus Manichæos, Sancti Martyres totum mundum prosequuti sunt, vt à quibus ipsi hordeo pasti essent, Ambrosia veritatis saturarent, à quibus aqua potionati, nectare salu-

k Gal. 2. 18.

l 1. Cor. 9. 11.

tis inebriarent, à quibus linteis tecti, balteis vitæ æternæ cingerent? O gratissimam ingratitudinem! quam si tu *Tossane* non intelligis, sine nos intelligamus, atque imperitis opprobriis tuis necessitatē summam, vtilitatem maximam nostræ tuæq; salutis præferamus. Rectè *Cato* quondam, incusantibus multis P. *Sulpitij* ingratitudinem, quod se illi optimè merito oppositisset cōpetitorem: *Minimè* inquit *mirādum, si quod quis maximum bonum ducit, id alteri concedere nolit.* Respondurus idem proculdubio pro me, si hanc *Tossani* cauillationem inaudijsset: minimè insimulandum me ingratitudinis, cum quod bonum maximum ducā, Catholicæ fidei vnitatem, nutritiis meis affatim rependere cupiam. Vtinam vtinam tu *Tossane*, tuæq; factionis plures alii, non solum principibus vestris, sed Catholico inprimis Imperatori, sub cuius alis tanquam sub scuto ab exterorum hostium incursionibus tuti latetis: Ipsi etiam Romanæ Ecclesiæ, à qua Scripturam, Sacramenta, atq; omnia pietatis insignia, adde etiam omnis doctrinæ præsidia accepistis, gratam hanc ἀντιπελαργίαν referrretis, ac beneficia beneficiis, præsidia præsidiis, amorem amore, collectam collecta, studium studio, vigilantiam vigilantia compensaretis, quā suauem ac beatam vtrinque vitam ductu-

ri, quam

ri, quam forti ac terribili rem Christianam vallo breui aduersus barbaros cincturi essemus. Sed nimirum vos *Athenienses* illi, *qui* (vt[m] *Themistocles* aiebat) *quoties tempestas ingruit, sub Platanum nostram confugitis: quoties serenitas redit, eam vellitis, ac discerpitis.* Vos *Marcellus* ille, de quo[n] *Pompeius: Non te pudet* inquit illi *maledicere, cuius beneficio ex muto factus es facundus, ex famelico eo productus, vt vomitum iam tenere non possis.*

[m] Plutar. in Apoph.

[n] Ibid.

Sed iam dudum me vocat PAREVS vester, *Tossane:* quem inspecto litterarum mearum fasciculo *quæstum esse* ais, *mala me fide descriptam suam epistolam, mutilatam nimirum, Romam mittere voluisse.* Bona tua venia dicam, non credo, si bene *Pareum* noui. Rotundior est, quam qui impudenter ita præuaricari audeat. Si tamen dixit, en quæ fides vestra, quæ constantia, in re tam manifesta inficiari verum? An non cogitat, superesse suum apud me authographum? superesse etiam exscriptorem? Quod si igitur pertinax est, en offero vobis conditionem, vt quemadmodũ mearum ad curiam Romanã ita etiam *Parei* ad me literarũ bona fide descriptum huc exemplar mittatis: quot tum apices ab autographo deprehensi fuerint aberrare, tot ego me digitis mulctandum interpono. Sed video quid sit: pudet hominem

nem infirmi ſui tenuiſque in me apparatus. Sed quid iſtud ad me? vtrum mea propterea fides indiſcrimen vocari debuit? Non ego ſum ille *Cornelianus* litterarum interpolator, qui exciſis neruis atque oſſibus alienorum ſcriptorum, σκελετύμασα tantum celebribus viris ſubmittere cogitem. Abſit. Quin ſi putat *Pareus*, nunc minus in ſuis quam oportuit, ſcriptum eſſe, ſciat ab initio *Pareum* minus quàm oportebat, ſcripſiſſe.

Venio ad palmarium Epiſtolæ tuæ conuitium, *Toſſane*: quod cum in prima vobis lingua hærere ſoleat, miror à te tam diu reticeri potuiſſe. Ais, *facilè patere ex Epiſtolis meis, quid quæram apud Catholicos, nempe opes & honores ſub diuite Papa, quæ omnia ſub paupere Chriſto obtinere apud vos ex animi ſententia non potuerim.* Ehem grande telum ad proſternendam omnem fortunam meam! Iam *Moguntinenſes* ſciunt, auarum me & ambitioſum, quem antea pium & religioſum credebant. Vtinam tacuiſſes *Toſſane* verbum hoc, felicius mea rota curreret. Nugæ putidiſſimæ! quid habetis calumniatores amplius, quod mihi meique ſimilibus deinceps obiectetis? Vetus hæc calumnia eſt, toties *Auguſtino*, toties *Staphylo*, toties *Wicelio*, *Piſtorio*, alijſq; præſtantiſſimis viris ex [o] *Vre* veſtro digreſſis, ita mendaciter oppoſita, vt diabolum ipſum eius pude-

[o] Gen. 11. 31.

pudere nunc arbitrer. Sed dic mihi quæso, *Tossane*, quibus argumentis aucupium tibi meum inoluit? *Ex Epistolis* inquis, *meis*. Quamobrem vero? Quia nunc pro familia liberisq; solicitus sum, nunc certam habitandi stationem quæro, nunc munus salariumq; annuum affecto, nunc in omnibus Pontificis, Cardinalium, Principum opem imploro. Atqui hanc curam ego pietatis esse didiceram non πλεονεξίας; Paulo disertè astipulante: [p] *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Et alibi. [q] *Non debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs.* Quid ergo nunc *Tossane*? Vestrum ne quisquam [r] *suis militat stipendijs?* Tu ne omnem familiæ tuæ abiecisti solicitudinē? Imo vero omnes insatiabili augendorum atque amplificandorum stipendiorum cupiditate laboratis: quæsturam, Senatum, Principem dies noctesque precibus & litteris solicitatis: quibus aliqua pinguioris culinæ opportunitas, patula manu, ringēte ore alienis semper ollis ac penarijs inhiatis, nec magis tamen inexplebilē vestram sitim satiatis, quam infelix ille

[p] 1. Tim. 5.

[q] 2. Cor. 12. 14.

[r] 1. Cor 9 7.

[s] *Tantalus à labris sitiens fugientia captans Flumina.* [s] Horat. li. 1. serm. Satyr. 1.

Ego verò, absit inuidia verbo, etsi quam debeo familiæ libenter curam impendo: ita me

me temperanter tamen hactenus gessi, vt quotquot me norunt, libenter meum faci-
[t] Epist. 237. ad Castor. ant illud S. Augustini. [t] *Voluit Deus ostendere per fratrem tuum inimicis Ecclesiæ, esse in visceribus Christi eius, qui non sua quærant, sed quæ Christi.* Verum vtcunque sit, suspicamini quod libet, calumniamini quantum licet vnicam oppono vobis coram Deo & Angelis mundissimam conscientiam, quam suo tempore Iustus Iudex omnibus cœliter æque oculis, mea maiori gloria, vestra maiori ignominia patefacturus est. Sed quid est, quod me ista, quæ vocãt, honorum atq; opum irritamenta apud vos impetrare non potuisse garris? *Tossane.* Cur enim uero non potui? An non virtuti ac diligentiæ æquè atque alij operam dabam? An non Patronos habebam impensè fauentes? Qui quanto nunc mei odio flagrant, tanto pridem meas fortunas studio prosequebantur, nec leuium promissorum authores erant. Si nescis, quære: si scis, tace, ne ita liquidò tabentem animum tuum prodas. Etiam multi sine *Tossano* remige nauigare potuerunt. At dies est Papa. Deo laus, qui vt Abrahamum
[u] Rom. 4. 13 [x] 1. Tim. 4. 8. [u] *hæredem mũdi* esse voluit, ac [x] *pietati huius & futuræ vitæ promissiones* fecit: ita sponsam
[y] Isai. 49. 23. quoque suam Ecclesiam nequaquam perpetua paupertate tabescere, sed [y] *regum* ac Principum nutricatione in splendorẽ quo-

que

que emergere, ac decenti opulentia cum [z] *Salomone* affluere iussit, quo vires haberet & exornandi diuini cultus, & fidei tutandæ, & rebellium compescendorum, & contumacium [a] intro cogendorum, & pomœriorum denique Christi ad extremos vsque *Indos* propagandorum. Quod non nescires tu, nisi [b] *Isaiam* Prophetam nescires. Sed diues est Papa: quomodo? Rapinis ne aut sacrilegijs, quibus vestræ plerorũq; mensæ radiant & laquearia fulgent. Minimè: sed bonis iusto titulo, donationis, emptionis, &c. acquisitis: quorum si tu sub simplici palliolo tuo partem aliquam obtinere posses, haud grauatè videreris accepturus. Sed pergo. Diues est Papa, quid tum? An propterea qui Catholicus sit, diuitijs inescatur? Bella ratiocinatio, similis isti alteri: Christus in his terris obambulans, [c] *non habebat, vbi caput reclinaret.* Ergo nos qui pauperiores sumus, sinceriores Christiani sumus. Profectò si paupertate certandum est, certandum quoque est afflictione & persecutionibus: quibus cum multis vobis partibus superiores sint *Anabaptistæ*, & omnis generis facinorosi, in quos quotidiè magistratus iustè vindicat, arundineam planè te hastam in me vibrare *Tossane, vides.*

[z] 1. Paral. 29. 25. 2. Paral. 1. 15.
[a] Luc. 14. 23
[b] Isai. 49. 23.
[c] Matth. 8. 20.

Plura huius generis ad rem apposita dici poterant. Sed ad finem festino, vbi coronidis

dis locò me *Impostorẽ* vocas, qui Catholicis *de vxore detenta, & alijs perpessionibus verba dederim*, quique *magis ad blandiendum Papæ, & piscationem auream, quam ad crucem & martyria paratus sim.* Dicamne, *Tossane*, virum te bonum, qui tam splendidè contra apertissimam veritatem mentiare? Audesné negare, familiam meam integros aliquot menses *Heidelbergæ* detentam fuisse inuitam? Auden' hoc negare? Quorsum igitur ego secunda vice nunc *Palatino Electori*, nũc *Senatui Ecclesiastico* supplicaui? Quorsum tot nuncios misi, tot sumptus feci? Quære ex ipsis, si lubet, Senatoribus, quoties misellam vxorem in rostra sua citarint, quoties ludificatam domum dimiserint. Ipsum locum intuere, in quo cum sañis istius hominis pudefacta & consternata præmetu respondere non posset, iam iam deliquio periclitata, exire Senatu iussa est. *Sanctiorem Senatum* non insimulo, qui annuente Clementissimo Principe statim prima meis vice abeundi potestatem fecit. Remoras intelligo illas inferiores, quas Dei iudicio relinquo. Nunquid tibi adhuc impostor sum? Impostoris nomen tu tibi vindica, qui turpiter hominum saluti imponens, hæresin pro fide, toxicum pro pascuis sceleratissime miseris instillas. De obtrusis Pontifici Palpis, falsus es. *De piscatione*

*aurea*

*aurea*, iam redargui te, redarguetq; amplius, sicut adpromisit *Serarius*, Piscationis vestræ aureæ aliquot documenta prolaturus. Tandem de Martyrijs perferendis quã comparatus sim, quid tu disceptas, homo vanissime, nunq̃ à me neque læsus, nec ꝓuocat⁹, nec ẽt vires meas expert⁹. Deus salutaris constantię pater, si hunc, quo nunc sũ, animum mihi confirmare (vt spero) dignabitur, planè nihil recuso hæresin vestram vel sanguine meo condemnare. Sed video prolixiorem me in calumnijs tuis retundẽdis fuisse, quàm oportebat. Abrũpo igitur filum defensionis meæ, teque seriò cohortor, alienæ inposterum famæ vt parcas, & qui nulla te iniuria lacessunt, quiescere sinas: hæc verò quæ per nefas mihi impingere voluisti, in te legitimè retorta tecum tantisper coquas, donec ipso tempore plura & maiora innocentiæ meæ argumenta tibi tuisque innotescant. Vale Mogunt. 6. Calend. Februar. M.DCII.

---

EPISTOLA II.

LVDOVICVS SCHWARTZmaier à Schwartzenau, S. Cæs. Maiest. à Consilijs.

*IVSTO BARONIO VETERacastrensi S P. D.*

AD religionem verè Catholicam & Orthodoxam te accessisse, mi IVSTE, iam-

dudum fama, & nuper scriptis tuis summo cum gaudio percepi. Idq; eo libétius, quod nonsolum *Palatinatui* iam diu inseruijsse te audio, in quo & ipse natus, singulari Dei beneficio ad eius veram agnitionem serò tãdem perueni: Verum etiam quod à CALVINO tibi nomẽ, qui omnium hæresiarcharum princeps, tanto grauius Ecclesiam afflixit, quando eius dogmata cæteris omnibus extiterunt venenatiora. Sperarim autem APOLOGIA tua in vernaculam linguam translata, multos in *Palatinatu* ad gremium Catholicæ Ecclesiæ redituros, præsertim cum iam Principes quidam ipsimet se à suis falsis Prophetis deceptos videant. Gratulor ergo tibi primum de conuersione tua, & seriò hortor, vt in fide tua constãter perseueres, eamque pro viribus defendas acriter. Deinde etiam eo omnes neruos intendas rogo, patriam vt communem publico quodam scripto, & comminando & rogando ab exitiali hæresi reuocare, veræq; ac vetustissimæ religioni restituere cõnitare. Id quod Deo erit acceptum sacrificiũ: & tu eo ipso salutem æternam promebere.

Vale. Pragæ. 15. Calend. Maij.
M.DCII.

Epi-

## EPISTOLA III.

ILL^mo ET REV^mo D. ROBERTO Bellarmino S.R.E. Cardinali, Archiepiscopo Capuano

*IVSTVS BARONIVS VETEracastrensis S.*

LONGO ac difficili itinere, è media *Germania* euocatus, paucis ab hinc diebus vna cum fratre in vrbem perueni, ILL^me & REV^me D^ne ea prę cipue mente ac consilio, vt quoniam mihi iamdudum consimile *Augustini* voto votum, *videre Romam in Choro, Pontificem in Cathedra, Cardinales in Comitatu*, partim animum tam insueto spectaculo oblectarem, partim Deo beneficentissimisque Patronis, quorum opera vel in fide institutus, vel in necessitatibus subleuatus essem, debitas grates persoluerem, mihiq; eorundem gratiam constantius deinceps deuincirem. Quorum vtrorumque ita heri in vigilia SS. PETRI & PAVLI initium feci, vt & Deum veneratus, & Pontificem cum vniuerso Purpuratorum Patrum collegio conspicatus, & meorum etiam præcipuis salutatis nihil desiderarim, nisi te vnũ desideratissimum BELLARMINVM meum (fas sit ita loqui intemperantissimo amori meo) qui si affuisses, corona sanctorum ple-

na&gaudium meum omnibus numeris absolutum fuisset. Sed intelligo Pastorem ad oues, Patrem ad filios, Ducem ad exercitum conuolasse. Placet & hoc, neque indignor, quin (si accipis à cliente hoc officij) tam sublimem tibi dignitatem, & Episcopale munus, quod *appetentes, bonum opus appetere* Paulus ait, ex animo gratulor. Ardet interim pectus incredibili tui videndi cupiditate, quod quia oculis negatum est, litteris conabor, nec mente à te vnquam vel latum pilum dimouebor. Nos hic fouet & complectitur magnus ille collega tuus BARONIVS, cuius à mensa & contubernio nunquam segregamur. Mirifica Principis humanitas, incredibilis doctrina, rara sanctitas munificentia cum paucis comparanda, vt si nihil quod Romæ miraremur, hoc vno domestico monumento contenti esse possemus: Ita planè domus eius omnium virtutum pietatisque sacrarium est. Sed & alibi in vrbe confertim se luculenta & maximè insignia pietatis spectacula offerunt, siue templorum ornatum, siue splendorem vrbis, siue Martyrum numerum, siue antiquitatum κειμήλια siue populi deniq; zelum & contiuam religionis contentionem spectemus. ô vtinam videant maledici *Arcessilæ* nostri, viruſq; acerbitatis suæ tandem aliquando compescere discant! Sed *seruus malus*

*1. Tim. 3 1.

* Prouer. 29. 19.

*malus nec verbis emendabitur: si enim & intellexerit, non obediet.* Muneri tibi mitto litterarium opusculum, confectum à me hybernis lucubrationibus, quod donec tuo nomini consecrata prodeant, benignè accipies, meque deuinctissimum Clientem tuum perpetuo fauore complectere. Quod vt facias, maiorem in modum etiam atque etiam obsecro. Vale. Romæ è Palatio Baroniano. 3. Calend. Iulij M. DCII.

---

## EPISTOLA IV.

### ILL^mo ET REV^mo PRINCIPI D^o. IOANNI ADAMO, Archiepiscopo & Electori Moguntino

### *IVSTVS BARONIVS VETERacastrensis S.*

CONFECI feliciter, quod tua venia ingressus eram iter; ILL^me ET REV^me PRINCEPS: id est superatis alpibus, viso *Mediolano*, ac *Bononia Lauretoque*, quadragesimo à *Moguntia* die (cunctari enim sæpiusculè calores, ac respirare à iactationibus coëgerunt) *Romam* cum fratre appuli, principem illam olim Imperij, nunc religionis, & verè, quod ait ille, * Τῆς οἰκουμένης ἐπιτομήν. Appulsos hospitio excepit magnum illud Cardinalium lumen CÆSAR BARONI-

* *Polemõ Sophista.*

vs SORANVS: cuius sub aris ac focis adhuc requiescimus, nec pedē inde mouebimus, quādiu nos alma hæc pietatis mater tenebit. Ita video Optimū Principē in nobis cōplectendis & ornandis nunquam sibi satisfacere. Beneficia beneficijs cumulat, amorē amore, studium studio. Pōtifex etiam Max. proxima Dominica ad sui conspectum admissum, paterna me benedictione prosecut⁹ est, percontatusq; de publicis & priuatis rebus nostris, vbi me narrante de tua valetudine, pietate, atque intrepido fidei Catholicæ tutandæ propagandæque ardore intellexit, quamplurimum se ostendit recreatum. Cuius rei testis est idem ille Dux noster *Baronius*, tanto Pontifice dignus Cardinalis, cuius vtriusque vitam Diui cœlites nostro ac totius orbis bono quàm diutissimè seruent incolumem. De vrbis magnificentia, deq; cæteris pietatis ac fortitudinis priscæ luculentissimis hic trophæis, nihil est quod scribam. Sunt ista iam in ore atq; oculis omnium, nec te fugiunt, qui Sanctam hanc terram haud paruo olim tempore calcalsti. Vbi etsi præter cæteros non dubito, quin sæpè hunc ipsum sacræ litteraturæ Principem *Baronium* videris, en tibi tamen (si fortè fallar) veram viuamque ipsius Iconem, quam non minus gratam tibi futuram confido, quàm ille ipse est, cuius hodiè laus

& fa-

& fama vniuersum Christianum orbem peruagata, instar solis cuiusdam pestilentes hæreticorum tenebras dispellit, lucemque affert illis, quos diri erroris pertinacia dudum excæcarat. Quo suo archetypo cum satis cõmendata sit effigies mea, plurib⁹ ego verbis illam commendare desino, ac me potius ad familiam meam conuerto, tuæ ILL^me PRINCEPS benignissimæ gratiæ commendatam, quam vt illis desiderio mei accensis magis magisque accommodare, ac si quo libebit signo confirmare digneris, maiorem in modum peto atque obtecro. Erit ea res non paruæ tibi apud pares laudis sementis, præmij verò apud Deum etiam hostimentum. Cuius vt tibi numen perpetuo adsit, ex animo precor ac voueo. Vale. Romæ è Palatio Baroniano. 3. Non. Iulij. M. DCII.

---

## EPISTOLA V.

### ILLVSTRI ET REVERENDO Dno. Ioanni Schvicardo à Cronberg, Metropol^æ Eccll^æ Mog^æ Decano.

*IVSTVS BARONIVS VETERA-castrensis S.*

POSTEAQVAM à vobis discessi, ILLVSTRIS ET REVERENDE D^ne, recta per

*Palatinatum*, mutato nonnihil schemate, ac pressa in diuersoriis persona (sicut [a] *anseres Cilices Taurum transuolaturi, metu aquilarum Iustæ magnitudinis lapide in os sumpto taciturnitatem sibi imperant.*) *Argentinam* prexi: inde per *Alpes*, *Lombardiam* & *Marchiam* Romam. Vbi hospitem nactus magnificum magis an humanum, sanctum an doctum dubito, *Cardinalem Baronium*, alteram nunc septimanam in obeunda vrbe, visendis templis, admirandis omnis generis reliquiis ac trophæis, precibus denique ad limina Principum Apostolorum fundendis consumo, memor tui, memor singularis tuæ in me beneficentiæ ac hospitalitatis, atque (vt ait [b] ille) *gratias agens non in sacrario modo Pontificalis Oraculi (qui locus horrore tranquillo & pauore venerabili rarò eundem animum præstat & vultum)* sed *vsq; quaq;, tum tacens tum loquens: tum in cœtu hominum, tum ipse mecum: & cum voce patui, & cum meditatione secessi, omni loco, actu, habitu & tempore. Nec mirum, si ego terminum non statuam tam grata profidendi, cum tu finem facere nescieris mei honorandi.* Fateor etenim palam, quicquid hactenus *Moguntia* in me contulit, tuo vnius auspicio collatum esse, cuius etiamnum sub alis suauiter familia requiescit, vnius *Cronbergij* tectis gaudens, vnius *Cronbergij* patrocinio fidens:

[a] *Plutar. de solertia animalium.*

[b] *Auson. in Gratiar. Act ad Gratianũ Imp. exhortatio.*

fidens: quod hic sũmis pariter ac imis, notis & ignotis magna vt dixi laude tua p̃dicare haud cesso, neque dum viuam cesslabo: tantum ne tu hunc ad te redundantem laudis fructum vilem arbitrere. [c] Hoc enim est *virtutis vberrimum alimentum:* [d] hoc ἥδιστον ἀπρόσαμα, [e] *maximum bonorum externorum,* [f] *cuius dulcedine nulla est tanta humilitas, quin affatim tangatur.* Macte animo Illustris vir, tu mihi Deus, tu mihi pater: ego virtutum tuarum haud negligens præco, Christus vberrima merces: cuius ego te curæ totum tuosq; commendo. Vale, atq; erga familiam qui soles, esse perge. Romæ è Palatio Baroniano, Prid. Non. Iulii. M. D. CII.

[c] *Val Max. lib. 2. ca. 10.*
[d] *Xenoph. in Hieron. siue Tyrannico.*
[e] *Arist 4. Ethic. ca 3.*
[f] *Val. Max. lib. 8. c. 14.*

---

## EPISTOLA VI.

### IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS

### *IOHANNI MVLHVSINO, SOCIETATIS IESV THEOLOGO S. P. D.*

CVM XII° Kalend. Iulii *Romam* venissem, neq; maturius propter itinerum & calorum difficultatem venire potuissem, optatissimo inuento hospite, *Cardinale Baronio*, maximè conuenire officio meo, Ecclesiæq; conducere putaui, prospicere ea quæ

quæ ad perſonam meam commendandam, & ad cauſam, ob quam veniſſem, inſtruendam quoquo modo pertinerent. Itaq; memor, quantus hæreticæ luis in hac Sancta vrbe horror, quanta animaduerſio eſſe ſoleret: certo die ſponte & liberè cum fratre *S. Inquiſitionis Officium* ingreſſus, ſuperioriſque ętatis cum gemitu enumeratis & reuocatis iterum erroribus, cæteriſq; quæ iſtius loci ſunt, fideliter præſtitis, nouam ac ſolennem ab Apoſtolico Cõmiſſario, Nobili ac Doctiſſimo Viro, conſueto proceſſu *Abſolutionem* conſecutus ſum. Non quidem quod illa prior *Spirenſis* nullarum virium fuerit, ſed quod conſcientiam magis quàm forum ciuile ſpectaſſe videretur. Rei totius fidem pleniorem faciet ipſius *Sanctæ Inquiſitionis* authenticum ac ſigillatum *Teſtimonium*, cuius tibi apographum mitto.

De cæteris rebus noſti ipſe, quæ hic omnium facies eſſe ſoleat. *Baronium* noſſe deſideras? Depinxit ad vivum prope [a] D. *Hieronymus* in Centenario illo *Paulo Concordienſi*, niſi quod in hoc (*Baronio*) ætas aliquanto minor. *Ecce* enim ſexagenus *iam illi ætatis circulus voluitur*, iſq; ſemper inter Caucaſos atque Ætnas laborum *præcepta Domini cuſtodiens, futuræ beatitudinem vitæ per præſentia exempla meditatur. Oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa veſtigia*

[a] *Hieron. Epiſt. 21. ad Paul. concordi.*

gio

*gia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum, & succi plenum: cani cum rubore discrepant, vires cum ætate dissentiunt, non memoriæ tenacitatem, vt in plerisq; cernimus, antiquior senecta dissoluit. Non calidi acumen ingenii frigidus sanguis obtundit. Non contractam rugis faciem arata frons exasperat: non denique tremula manus percuruos* chartæ *tramites errantem stylum ducit*: non defatigatur (quod mirare) in tam immani *Annalium* mole, proprio semper labore, sine vllius amanuensis opera describenda. Atq; vt cætera etiam S. *Hieronymi* attexam: *Futuræ nobis resurrectionis virorem* in hoc Principe *Dominus ostendit, vt peccati sciamus esse, quod cæteri adhuc viuentes præmoriuntur in carne: Iustitiæ quod ille adolescentiam in aliena ætate mentitur. Et quanquam multis istam corporis sanitatem etiam peccatoribus euenire videamus, tamen illis hoc Diabolus ministrat, vt peccent: illi Deus præstat vt gaudeat:* imò verò vt gaudeamus nos, neq; ille Herculeo Antiquitatis Ecclesiasticæ eruendæ cœpto succumbat. Quod vt illi mecum totiq; Catholicæ Ecclesiæ à Deo iugiter precari pergas, *amicissime doctissimeque* MVLHVSINE, per fidem te tuam, vt maximè possum, obtestor. Vale & [b] *cum Sanctis, qui tecum Christi* [c] *leue trahunt iugum,* præcipue suspiciendis Patribus *Francisco Rape-*

b Hieron. Epist. 96. ad August.

c Matth. 11. 30.

*Rapedio Rectore, Iohan. Busæo, & Nicolao Serario* quàm longissimè salue. Romæ. 6. Calend. August. M.DCII.

---

## TESTIMONIVM ABSOLVTIonis S. Inquisit. Romanæ.

*VNIVERSIS & singulis præsentes litteras visuris, lecturis pariter & audituris, pateat euidenter, & sit notum, qualiter die XXVIII. mensis Iunii M.DCII. Iustus Baronius Veteracastrensis Germanus, Henrici Caluini filius, ætatis suæ annorum circiter XXXI., comparuit personaliter sponte Romæ in Palatio S. Officii, & iuridice facta suorum errorum & hæresum confessione, prout latius in Actis, veniam petiit, & Sanctæ Matri Ecclesiæ reconciliari deprecatus fuit. Quocirca die XXIII. mensis Iulii præsentis anni MDCII. attenta sententia per R. P. Fratrem Deodatum Gentilem Ianuensem, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magistrum, Sanctæque Romanæ & vniuersalis Inquisitionis Commissarium generalem, in huiusmodi causa lata Iustus Baronius prædictus abiurauit tanquam for-*

*formalis hæreticus omnes errores & hæreſes Caluini, & in genere omnes & quoſcunq; alios errores & hæreſes contra Sanctam Romanam Eccleſiam ſeſe quomodolibet extollentes, ac ſucceſſiuè ab eodem R. Patre Commiſſario abſolutus fuit, in forma Eccleſiæ conſueta, ab omnibus & ſingulis excommunicationis ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis quas præmiſſorum cauſa & occaſione quomodolibet incurrit, & communioni fidelium, participationiq; Eccleſiaſticorum Sacramentorum, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ vnitati & gremio reſtitutus. Iniunctis eidem pœnitentiis ſalutaribus: nempe vt ſemel quā primum viſitet ſeptem vrbis Eccleſias, intus & extra mœnia priuilegiatas. Per triennium proximè futurum ieiunet in die Paraſceues in pane & aqua. Per idem tẽpus bis ſingulis hebdomadibus recitet Coronam B. Mariæ ſemper Virginis: & tandem per idipſum tempus quater in anno Sacramentaliter peccata ſua confiteatur Sacerdoti ab Ordinario expoſito, & de eius conſilio Sanctiſſimum Eucharistiæ Sacramen-*

*mentum sumat in Natiuitatis & Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, Pentecostes, & omniũ Sanctorũ festiuitatibus. In quorum fidem &c. Datum Romæ, in Palatio dicti Sancti officii, die XXIII. Iulii. MDCII.*

*Quintilianus Adrianus Sanctæ Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis Notarius.*

*Locus Sigilli.*

---

## EPISTOLA VII.

ILL^mo ET REV^mo D. ROBERTO Bellarmino S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Capuano

*IVSTVS BARONIVS VETERacastrensis S.*

VENISSE me in vrbem, diuertisse apud Cardinalem *Baronium*, te videre percupijsse, scripsi iamdudum, atq; opera Patris cuiusdã *Oratorij* trãsmisi. Sed taces, nec verbum contra, vt haud ęgrè credam quod ferunt, perijsse literas cum nuncio, vi calorum oppresso. Quod si ita est, En alterum tibi earundem litterarum exemplum: quibus hoc vnum attexo, quod aliâs quoq; de *Insti-*

*Institutionibus Caluini** scripsi, omnem *Germaniam* nostram hoc à te confutationis beneficium desiderare. Nam quod *Baronius* alijque viri Principes hanc nuper *Aetnam* mihi impositam voluerunt, vides ILL^me D^ne quàm graue futurum sit, quàm humeri mei planè non sint ferendo. *Atlantem* aliquem hæc cura desiderat, qui non ego, sed tu tuique similes, in sacra hac militia iam Veterani, coronisque toties decorati. Mihi *post principia* locus, tutumque silentij præsidium, vnde me haud extrahi patiar, nisi neminem omninò velle intelligam. At voles tu spero, meq; hoc onere leuabis, ne detrectasse magis superiorum voluntatem, quàm summè idoneo concessisse videar. Vale, meq; reditum ad meos maturantem pijssimis tuis apud Deum precibus prosequere. Romæ 9. Calend. Septem. M. DCII.

* *Vide Supra lib. 2. Epist. 18.*

---

## EPISTOLA VIII.

### ROBERTVS BELLARMINVS Politianus, S.R.E. Cardinalis, Archiepiscopus Capuæ

### *IVSTO BARONIO VETERA-castrensi S.*

Clarissime vir, & singularis amice.

MOLESTE fero, quod literas tuas priores nõ viderim, sed longe molestius, quod

quod te ipsum videre non possim. Faxit Deus, vt in patria coniugamur, cum ipsius Dei causa in exilio nos disiunxerit. Ego te vbicunque fueris, sincerè diligam, & *Roma* abeuntem precibus & votis prosequar. Arbitror enim, vitam & salutem tuam Ecclesiæ Catholicæ non mediocriter profuturam, si ad *Caluini Institutiones* seriò refutandas animum adieceris. Video enim tibi ad opus hoc perficiendum multa suppetere, quibus vel omnibus, vel nonnullis caruerunt, qui idem opus infeliciter aggressi, infelicius ad exitum perduxerunt. Me certè nonsolum ætas iam prouecta, & in senium declinans prohibet eiusmodi opus aggredi, sed multò magis sarcina Ecclesiastica, quæ grauissima est, cum nonsolum more veteri, assidue concionandum, & orandum, vel vt verbis vtar Apostolorum, * *orationi & verbo Dei instandum* nobis sit, sed etiam iuri dicendo, & reis puniendis operam dare sine intermissione debeamus. Tibi igitur palmam libenter cedo & iuniori & instructiori. Dominus Deus noster dona sua in te collata conseruet & augeat, vt de hostibus fidei, qui te aliquando captiuum miserè tenuerunt, gloriosè triumphes. Datum Capuæ, die 6. Septemb. M. DCII.

*Act. 6. 4.

EPI-

## EPISTOLA IX.

CÆSAR BARONIVS SORA-
nus S.R.E. Cardinalis
*ILL^mo D^no IOANNI ADAMO*
*Archiepiscopo & Electori Mogun-*
*tino. S.P.D.*

*Ill^me & Reu^me D^ne.*

QVI Moguntia Romam venit *Iustus Caluinus*, idem modo reuertitur Roma Moguntiam *Iustus Baronius*. Quem enim Ecclesia Catholica accepit in sinum, ego in familiam meam libenter suscepi; eum etiam iure spiritualis cognationis, virtute Sacramenti CONFIRMATIONIS, quod consecutus est à Sanctiss° D° N° CLEMENTE Papa VIII. eundem genui mihi filium, & vt spero, non degenerem leonis catulum, qui iam exeruit vngues in eos, qui ipsum in cauea impietatis detinuere captiuum. Hunc igitur his decoratum à nobis insignibus, iam antea filium tuum, ouemq; pascui tui, rogo iterum atq; iterum vti pater benignus amplectere, & vigilantissimus pastor enutri, vti patronus foue, protectorque defende: susceptürus ego in me cuncta in ipsum collata officia & beneficia, quo nomine R^mæ D^i V^æ deuinctus perpetuo permanebo. Qui & pro Episcopali munificentia erga eius familiam ipso absente

abunde satis exhibita, plurimas gratias ago. Vale. Romæ 15. Calend. Octob. An. Dom. M. DCII.

---

## EPISTOLA X.

### ILL^mo ET REV^mo D. CÆSARI Baronio Sorano S. R. E. Cardinali.

*IVSTVS BARONIVS VETERA-castrensis S.*

SOLICITVM te esse itineris nostri, ILL^me & REV^me D^ne tam non dubito, quam me esse tibi charissimum. Itaque ne *ingrati hospitis* crimen incurram, id est, [a] *quod natura Lynces insitum* habere dicuntur, *ne post tergum respicientes meminerint priorum, & mens perdat, quod oculi videre desierint*: ex proxima etiam *Hetruria* rescribendum tibi duxi, vt quanto minori ad te interuallo rescriberem, tanto constantiorem tui memoriam habere viderer. Scito igitur regressos ex vrbe septimo post die *Lauretanis* ambagibus *Perusiam* venisse, vndecimo *Senas*. Quo vtroque loco quid mihi, quid comitibus meis Germanis, *Bernitio* & *Zollero* cum Illustrissimis Academicis negotij interceserit, quid Laureæ à nobis affectatum feliciterq reportatum fuerit, malo te ipsorummet publicis testimonijs (quæ mitto)

[a] *Hieron. Epist. 44 ad Chrysogon. Monac. Aquil.*

to)quàm litteris meis cognoscere. Sanè *Romæ* nihil mihi huiusmodi in mente. At primum exemplum comitum candidatorum, deinde singularia Academicorum priuilegia atq; inuitationes, tertio fructus in Germania sese tum priuatis fortunis meis, tum publicis vel in Ecclesia, vel in Repub. edendis lucubrationibus adpromittens, facilè me in hoc consilium pertraxit, quod nec tibi, nec cæteris Illustrissimis Patronis Cardinalibus, *Bellarmino*, *Aldobrandino*, *Paraticino*, improbatum iri confido. Successus vtrobique fuit Dei munere perquam oppido felicissimus. Honoris tuo nomine etiam præ cæteris mihi tantum habitum, quantum verbis consequi vix possum. Viserunt, duxerunt, reduxerunt, magna solennitate, maximo numero, vt præter frequentissimã studiosorum cateruam, *Senensium* Academicorum consessus 72. Doctorum corona clauderetur. Orationes in te, in Pontificem, in cæteros Mœcenates meos, quos ordine me narrante, comitibus astipulantibus, litterisque etiam aliquot vestris, quas opportunè mecum habebam, contestantibus cognouerant, habitæ à Promotoribus quàm honorificentissimæ. Plura huius generis pudore, non obliuione, prætereo. Sunt enim talia, quæ etsi vestro potius quàm meo merito in me collata profiteor, arrogantius

tamen fortè quàm vtilius prædicari à me videbuntur, qui totius rei pars maxima fui. Quanquam hanc ipsam me laudis & gloriæ mercedem Illustrissimis Academicis omnino debere agnosco: quibus vt perpetuum amoris veneration isque affectum libentissimè, quoad viuam, præstabo: ita vt vos Amplissimi Mœcenates mei Vestræ quoq; beneuolentiæ auram data illis opportunitate afflare dignemini, vt vehementer cupio, ita maximopere oro.

De tuis verò in me præclarissimis nuper *Romæ* meritis, quid? ILL^me BARONI: de quadrimestri hospitalitate, de amicissimis sermonibus, de religiosissimis pietatis exemplis, de creberrimis commendationibus, de Sacramentali mecum inita cognatione, de glorioſissima denique nominis contesseratione, an mutus lethæusq; ego? Absit: quin *Stentore* clamosius vbique effero, sumoq; hanc mihi non vulgaris, vt ita dicam, ostentationis materiam, quod non tuæ tantum clientelæ, sed & tuę familię homo sum Hoc lætor, hoc exulto magis,

b Horat. l. Epist. 12.

b *Quàm si me liquidus fortunæ riuus inauret.*

Atque hoc huic ipsi Epistolæ inserui, ne (vt ad superiora redeam) λύγκειος à te existimarer, quæ fera, vt *Hieronymi* verbis concludam, *sub frondente captans arboris ramo fuga-*

c Hieron. Epist 44. ad Chrysogon. Monac. Aquil.

*fugaces capreas, aut timidum ceruos animal comprehendit, currentemq; frustra prædandum hostem suum secum vehit, rabido desuper ore dilaniat, & tamdiu meminit prædandi, quamdiu venter vacuus siccum fame guttur exasperat: vbi verò sanguine pasta ferinas viscera distẽ a compleuerit, cum saturitate succedit obliuio, tandiu nescitura quid capiat, donec memoriam reuo cauerit esuries.* Non ego talis, non: sed quẽadmodum[d] *Ciconia* sempiternam paternę fidei & amoris memoriã in esse ferunt: ita & mihi tuorum beneficiorum crede: nec mihi solum, sed & filiis, & posteris, & quotquot Baroniani ex me nominis hęredes vnquam superfuturi sunt. Vale. Senis 4. Non. Octob. M. DCII.

[d] *Plutarch. de Solert. Animal. Et li 8 Sympos. quæst. 7.*

---

## TESTIMONIVM
### FACVLTATIS THEOLOGICÆ, Illustris Academiæ Perusinæ.

### Christi nomine inuocato.

NOS *Saluutius de Saluutiis V. I. D. Canonicus Perusinus, Protonotarius Apostolicus, ac Perillustris & Reu*[mi] *D. Neapolionis Comitoli, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi Perusini, & Almi Gymnasii Perusini Cancellarii*

*Optimi Vicarius generalis: cum præsentia, assistentia ac decreto R^dl P. Io. Baptistæ Dionysii, Canonici Perusini, collegii Theologorum ac Philosophorum Vniuersitatis Perusinæ Decani: Vniuersis & singulis præsentes literas, vel præsens publicum Priuilegii instrumentum visuris, lecturis, & audituris salutem ab eo exoptamus, qui omnium est vera salus. Eorum qui in excelsa alicuius ciuitatis specula constituti sunt, aliorumq; vtilitati & gloriæ consulere debent, munus illud esse videtur, vt pro rebus benè & laudabiliter gestis, viris præstantibus præmium aliquod reddere studeant, vt & ipsi ad maiora sublimioraque magis ac magis excitentur, & alii ad virtutes amplexandas, præclaraque facinora obeũda eorum exemplo alliciantur. Quod sanè cum in rebus aliis consentaneum est, tum verò inprimis, quando quis in aliqua adipiscenda scientia diu noctuq; insudauerit, vt tandem ex amaris studiorum radicibus dulces aliquando fructus percipiat, cæteris autem ad easdem sibi comparandas scientias, igniculos quosdam iniiciat.*

*illi*

*Illi verò, qui de SS. Theologia bene meriti sunt, digni præ cæteris nobis videntur, vt amplissimis præmiis cumulentur, eoq; magis, quo sacra hæc facultas cæteris omnibus scientiis vtilitate, necessitate ac dignitate omnium judicio antecellit. Quæ omnia cũ ita esse animaduerteret Illustris atq; Eximius vir, D. Iustus Baronius Veteracastrensis: qui (vt nobis fideliter retulit atq; aliunde satis cõpertum fuit) annos cõplures Heidelbergæ Electoralis Palatinus in Germania Metropoli didicit partim, partim, q; vtrũq; dolet, Caluini hæresim docuit: nunc vero Dei benignitate abhinc circiter sesquianno ad Catholicam orthodoxam fidem seriò conuersus, & Catholicorũ Theologorũ scriptis, partim antea, partim nunc euoluendis, & propriis aduersus hæreses lucubrationibus cudendis edẽdisq; tã præclaros in SS^ta Theologia progressus fecit, vt in hac Ill^ma Academia nostra Perusina rigoroso examini subiectus, abundantissime omnium expectationi satisfecerit, ac præclaram insuper linguarum Philosophiæque cognitionem ac morum*

probitatem nobis demonstrarit. Quibus eum scientiis & moribus cum præditum esse nobis innotuerit, rationi consentaneum esse duximus, vt tantis eius meritis decus illud & ornamentum tribueretur, quo dignus ab omnibus existimaretur. Quod cum à nobis summa cum modestia, proprio tamen quodam iure efflagitauerit, libenti animo morem illi gerendum esse duximus. Quocirca Nos Saluutius de Saluutiis Vicarius præcipuũ & eruditũ virum D. Iustum Baronium, nobis & R^do Decano per R^dum & Excell^um Sacræ Theologiæ ac Philosophiæ Doctorem D. Alexandrum Iouium de Perusia, Promotorem ab eo selectum, suo & R^di ac Excellentis Patris Magistri Anselmi de Septiis Perusini Ordinis Seruorum, Sacræ Theologiæ ac Philosophiæ Doctoris compromotoris nomine præsentatum, vt iuxta eiusdem Collegii leges tanquam dignus ad publicum examen admitteretur, hoc eodem die, & loco infra scripto super pũctis sibi heri in sacra Theologia ac Philosophia: In Theologia ex lib. 3. Sent. distinct. 5. & ex eodem lib. 3. Sent. Dist. 6. in Philosophia verò tex. 67. lib. 3. Phy-

Physicor. sorte assignatis, publicè examinandum esse decreuimus. Itaq; hodie super eisdem punctis, rigoroso examine facto per R^dos Patres & clarissimos dicti Collegii Doctores num XXII. ibidem collegialiter coadunatos, & collegium ipsum constituentes, periculum de ipsius eruditione fecimus. Cum igitur in legendo, disputando, & loca difficilima interpetando, obiectionibusq;, & argumentis sibi factis subtiliter respondendo coram nobis se præclarè gesserit, summa omnium cum laude & applausu: iure & merito per omnia secreta suffragia affirmatiua in A littera reddita, nulla R, reprobatiua incontrarium reperta, & sic nemine penitus penitusq; ac omnino discrepante fuit approbatus. Doctoralique laurea in SS^ta Theologia ac Philosophia dignissimus declaratus. Nos itaque Ioann. Baptista Dionysius Decanus prædicti & eruditissimi D. Iusti doctrina, probitate, aliisq; meritis, quæ in decorandis tam de Iure, quàm de consuetudine requiruntur, perspectis, de mandato prædicti Admodum R^di D. Proepiscopi, de consensu

omnium Patrum & examinatorum predictorum, & authoritatibus quibus fungimur, CRISTI & B^mæ Matris semper Virginis Mariæ nominibus repetitis, habito processu, & debita informatione super fide & Religione Catholica eiusdem peritissimi D. Iusti, & facta per ipsum in manibus nostris palam & solenniter fidei professione, iuxta Bullam felicis recordationis Pij Papæ IV. eundem D. Iustū vti meritissimū in SS^ta Theologia ac Philosophia graduandum, doctorandum & laureandum (non obstante vxorem & liberos ipsum habere) esse decreuimus, vt in Doctorem pariter & Magistrum graduamus, doctoramus, & laureamus, & in aliorum Sacræ Theologiæ ac Philosophiæ Doctorum numerum aggregamus. Cui sic creato & promoto humiliter acceptanti omnem potestatem, & facultatem legendi, concionandi, disceptandi, docendi, sacras literas interpretandi, & glossandi damus atq; concedimus, ita vt gaudeat & fruatur, ac frui & gaudere possit & valeat omnibus & singulis Priuilegiis, prærogatiuis,

uis, immunitatibus, libertatibus, antelationibus, fauoribus, honoribus & gratiis, quibus cæteri in eisdem facultatibus Doctores & Magistri gaudent, & fruuntur, ac frui & gaudere vbiq; possunt, & debẽt, ac si in alia quauis generali studiorum Academia ipsum Doctoratus gradum adeptus fuisset. Demum omnia insignia Doctoratus & magisterii ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei illi tribuimus. Primo librum clausum, postea apertum damus: secundò annulo aureo desponsamus: tertio biretum in signum laureæ capiti imponimus: quartò Cathedram magistralem assignamus: quintò osculo pacis osculamur. Demum paternam concedimus benedictionem per eum, qui trinus & vnus regnat in secula seculorum. Quibus omnibus per R^dum Decanum peractis, Nos Salutius Vicarius mandamus infrascripto dicti Collegii Notario, vt publicum & authenticum hisce de rebus conficiat instrumentum, illudq; Collegii Sigillo muniat, subscribat, registret, ac publicet. Data & acta fuerunt hæc Perusiæ, in loco capituli Cathe-

Cathedralis Ecclesiæ Perusinæ, ad hæc soli-
to & consueto: sub Anno Domini, Mille-
simo Sexcentesimo secundo, Indictione 15.
tempore Pontificatus S^mi D.N. D. Clemen-
tis Diuina prouidentia Papæ VIII. Ann.
eius XI. die verò Iouis, 26. Septembris, præ-
sentibus ibidem Illustribus & generosis
viris, D. Rudolpho Chuen Barone à Bela-
sio, & D. Ioan. Erasmo Chuen Barone à
Belasio, & Excellentissimis D.D. Gregorio
Bernitio Wratislauiensi, Presbytero, Ca-
nonico Cathedralis Ecclesiæ Wratislaui-
sis, & Collegiatæ S. Crucis Decano: & Io-
anne Zoller, Ecclesiæ Cathethralis Curien-
sis Canonico, Sacræ Theologiæ ac Philoso-
phiæ Doctoribus, testibus ad prædicta vo-
catis, habitis specialiter atq; rogatis. Astā-
tibus etiam ibidem pro honore ac dignita-
te actus huiusmodi quampluribus aliis
nobilissimis & præstantissimis viris.

Locus appens. Sigilli,
& subscript. Notarii.

TESTI-

# TESTIMONIVM FACVLTATIS IVRIDICÆ, Illustris Academ. Senensis.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI Iesu Christi Amen.

BARZELLINVS Barcellinius Cesenatensis, Protonotarius Apostolicus, S^mi D. N. Papæ vtriusque signaturæ Referendarius, & Ill^mi ac Reu^mi D. Francisci Mariæ Tauruſii S. R. E. & S. Mariæ ſuper Mineruam Presbyteri Cardinalis, & Archiepiſcopi Senarum ſexti, in Spiritualibus & Temporalibus Vicarius Generalis, & ad infra ſcripta ſpecialiter deputatus, Vniuerſis & ſingulis mundi Principibus atq; Prælatis, omnibusq; aliis, ad quos præſentes noſtræ peruenerint, maioribus debitam reuerentiam, amicis quoque, & cæteris ſalutem, & proſperos ad vota ſucceſſus. Glorioſa ſcientiarum Mater Senarum Vrbs præclariſſima & veneranda clariſſimorũ Doctorũ authoritas, quæ præcunctis ſidereis ſplendoribus obtinet principatum, illos duntaxat ad publicam

cam Licentiam, & Cathedram Doctoream extollit, quos certamen generalis examinis dignè ad id promouet per concurrentem virtutem, & excellentiam meritorum, vt sic promoti apud vniuersos Mundi Principes, & Rectores pro eorum assistentia cæteris aliis hominum generibus, singulis dignitatibus, & honoribus merito præferantur. Cum igitur Magnificus & Excellens D. Iustus Baronius Veteracastrensis Germanus, S. Theologiæ Doctor, quem tunc præcipuè vitæ, scientiæ, morum honestatis, atque virtutum specialis prærogatiua sublimauit honoris. Quando coram nobis pro recipiendis punctis, & intrando Iuris Canonici, & Ciuilis facultatum examen per Magnificos & Excellentissimos vtriusque Iuris interpretes Dominos, D. Hippolytum Carolum de Picolomineis, Dominum Alexandrum Thaium, Franciscum Accarisium, tertiæ partis, quæ appellatur ciuitas vrbis vniuersæ Senarum, pro hoc tempore vexilliferum, & Dominum Alcibiadem Lucarinum, Patritios Senenses, promotores suos

fuit

fuit præsentatus. Et iurauit prout in Bulla Pii Papæ quarti. Et ad earandem vtriusque Iuris facultatum examen die infrascripta priuatæ, tremendæ, ac rigorosæ examinationi omnium, & singulorum Doctorum Collegii Vniuersalis studii Senensis prædicti, ad hoc specialiter congregati, sè vltrò tanquam vir doctissimus & fortissimus animosè subiecit. Et ita in dicto suo rigoroso examine, postquam puncta infrascripta in dictis Iuris Canonici, & Ciuilis facultatibus ei per nos more solito specialiter assignata, videlicet C. Primum de Bigamis. L. Non seruum C. de Rei vendication. elegantissimè & doctissimè recitauit, ita egregie argumenta resumpsit, subtiliterq; & copiosè resoluit, quod post longum & rigorosum eius examen tam à nobis, quam ab omnibus Doctoribus dicti Collegii ibidem præsentibus concordi voto, atq; consensu, & nemine penitus penitus discrepante miro modo fuit approbatus, eiq; licentiam se doctorandi, & doctoratus insignia recipiendi, tanquam viro dignissimo concessimus gratiosè. Consideratis igitur

tur

tur scientia, ætate, vitæq; ac morum honestate, aliisq; plurimis probitatis, & virtutum meritis, quibus ipsum Altissimus insigniuit ac decorauit, sicuti tam hodiè in suo rigoroso examine, quàm aliis suis publicis & priuatis actibus mirabiliter fuit comprobatus: vtq; tandem studiorum ac laborum suorum coronam meritam valeat reportare, eiusq; gloria aliis trāseat in exemplum, tantoq; magis accendantur ad studia, quanto vberioris dono gratiæ inde nouerint se refertos: Nos Barzellinus Barzellinius Vicarius præfatus auctoritate prædicta Ill^mi & Reu^mi D^ni Archiepiscopi Senensis, & sui Cancellariatus Officii nobis concessa, & qua fungimur in hac parte de consensu & voluntate dictorum Doctorum omnium ibidem præsentium, eūdem Dominum Iustum Baronium Veteracastrensem Germanum in dictis Iuris Canonici, & Ciuilis facultatibus Doctorem & Magistrum fecimus, decreuimus, pronunciauimus, & declarauimus: Dantes & concedentes sibi nomen & titulum Doctoratus, & in dictis facultatibus vtriusque

Iuris

*Iuris legendi glossandi interpretandi, consulendi, iudicandi, cathedram doctoream ascendendi, cæterosq; doctoreos actus faciendi, & exercendi, hic Senis, & vbiq; locorum, quo se duxerit conferendum. plenam & liberam sibi de cætero concessimus facultatem & potestatem. Demumq; vt idem D. Iustus Baronius Veteracastrensis Germanus possessionem sui Doctoratus huiusmodi ab omnibus videretur adeptus, Magnificus & Excellentissimus D. Franciscus Accaristius Præfatus, habita prius desuper luculenta & ornatissima oratione, nomine suo, pariter aliorum suorum compromotorum, Doctoratus insignia per ipsum humiliter postulata, sub hac forma tradidit gratiosè. Quia primum libros dictarum facultatum clausos, mox assignauit apertos, Biretum doctoreum capiti suo imposuit, eius digitum aureo annulo more solito subarrauit, eiq; pacis osculum præbuit, Deum quoq; Omnipotentem humiliter exorauit, vt tam prædictum D. Iustum Baronium Veteracastensem, quam omnes alios Christi fideles sua sanctissima benedi-*

ctione sanctificare dignetur, per infinita secula seculorum Amen. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes nostras litteras fieri, & per Notarium nostrum publicum infra scriptum subscribi, sigillique Pontificalis præfati Illmi & Reumi D. Archiepiscopi Senensis iussimus appensione solita communiri. Datum & actum Senis, in aula magna Palatii Archiepiscopatus, Anno ab Incarnatione Dominica, Millesimo sexcentesimo secundo, Indictione decima quinta: Die vero trigesimo mensis Septembris. Clemente Octauo Pontifice Maximo, Rodulpho II. Romanorum Imperatore, & Ferdinando Mediceo Magno Hetruriæ Duce. Præsentibus ibidem Perillustibus Dominis, D. Antonio Tieni Comite Vicentino, D. Nicolao Valmerana, Comite Vicentino, D. Bartholomæo Finetto Senensi, Testibus vocatis specialiter & rogatis.

Locus appensi sigilli.

EPI-

## EPISTOLA XI.

ROBERTVS BELLARMINVS Politianus, S.R.E. Cardinalis, Archiepiscopus Capuæ

*IVSTO BARONIO VETERAcastrensi S.*

Clarissime Domine.

LITTERÆ tuæ die 30. Iunij scriptæ, vnà cum libro *Præscriptionum aduersus hæreticos*, quas dudum perijsse arbitrabamur, ecce mihi de improuiso ex *Prochita* Insula à quodam mei amantissimo Episcopo adferuntur. Vbi latuerint tamdiu, vnde ad Insulam appulerint, nemo qui sciat. Ac ne quidem ipse Episcopus referre potuit, quis is sit, qui ei litteras & librum deferendum dedit. Inscriptio nominis mei, præsertim cum in ea Insula sacerdotium possideam, fecit, vt litteræ non perirent. Itaque hac ipsa die, qua litteras tuas eruditissimas, & suauissimas accepi, gratulandum tibi esse duxi, quoniam * *filius* tuus *mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.* De literario tuo labore nihil habeo quod dicam, cum librũ nondum perlegerim, spero talem me inuenturum, qualia cætera sunt, quæ à te prodierunt, in quibus neque sermonis elegantia neque sententiarum grauitas desideratur.

* Luc. 15. 24.

Vale mei memor, & sarcinam meam Episcopalem precibus tuis subleua. Datum Capuæ. die 8. Nouemb. M. DCII.

---

## EPISTOLA XII.

## CÆSAR BARONIVS SORANUS S. R. E. Cardinalis *IVSTO BARONIO VETERACASTRENSI S.*

TVAS *Iuste Baroni* litteras diu desideratas tãdem magna animi mei voluptate accepi, & libenter legi. Præter enim manifestissima amoris erga nos tui & obseruantiæ indicia, id quod summopere de te audire volebam, significabant. Et primum quidem, quod earum me cupiditate incendebat, id erat, quod itineris vestri successus oppido me solicitum habebat, cum nonignorarem multa solere proficiscentes incommoda comitari, lassitudines, æstus, frigora, insidias, & mille pericula, quæ quo quis aliquando diligentius vitare cogitat, eo citius incurrit. Sed, vt spero, eum viæ ducem consequutus es, qui Iuniorem [a] *Tobiam* suæ fidei concreditum incolumem à patre & abduxit, & ijsdem auspicijs reduxit. Cui te, cæterisque Sanctis omnibus vt semper quàm studiosissimè commendes, & gratissi-

[a] *Tobiæ 5.*

tissimum exhibeas censeo, tãquam ijs, quorum apud Deum suffragijs & autoritate preces nostras promoueri & posse & solere certò scimus. Hæc enim sola est via, qua nos erga Sanctos pro eorum in nobis custodiendis vigilantia gratos demonstramus. Alterum quod me in ijsdem delectabat, illud erat, quod feliciter *Doctoratus* gradum nactus es: quem honorem tibi cum Ecclesia Dei communem esse & opto, & futurum spero: imò ipsine an tibi magis ea de causa gratuler, non satis constituo, quod illam per te aliquando ornatum, tuisque laboribus illustratum iri confido. In quo ne meam de te opinionem fallas, quantum verbis consequi possum, & obsecro & oro. Magnum tibi, mi *Iuste*, cum hac dignitate onus impositum est, magna solicitudo accreuit, præmiorum vero spes & expectatio maxima manet, si illam ea fide & constantia tuebere, qua & te velle credo, & posse confido. Incumbe igitur, incumbe obsecro, & in id omnes neruos, omnem industriam confer, vt quæ te ex inimico & lumini rebelli gratiæ suæ restituit, illa ex sua in te humanitate & amicitia mercedem reportet, vt tuis scilicet studijs & sudoribus istis in partibus [b] *tentorij sui funiculos dilatet*, hoc est, quem deuijs omnibus misericordiæ sinum cupidissimè pandit, per te gaudens & læta impleat.

[b] *Isai 54. 2.*

pleat. Quæ cohortatio nec longior esse debet, cum te tua sponte satis propensum ad quiduis pro ea laboris & discriminis subeundum persuasum habeam, nec omittenda tamen fuit, cum hoc apud te vellem relinquere, nil mihi magis curæ esse, nisi vt collatam tibi recenter honoris lauream omnium virtutum phaleris quàm maximè cohoneſtes. Vale Romæ. 18. Calend. Decemb. M. DCII.

---

## EPISTOLA XIII.

### *IVSTVS BARONIVS VETEracastrensis*

### LVDOVICO SCHWARTZmaiero à Schwartzenau, S. Cæs. Maiest. à Consilijs S. P. D.

AD 18. Calend. Decemb. cum post semestrem absentiam domum ex Vrbe reuersus essem, primo cubiculi ingressu opperientes inueni suauissimas[a] literas tuas, Illustris *D. Ludouice*, quinto ante mense ad me datas, plenas amoris, plenas pietatis. Quibus vt confestim respõderem, nonsolum illa ipsa causa monebat, sed & hæc altera, quod tu tanta dignitate vir, inter Imperatorios consiliarios haud postremus, me (quod ait[b] S. Hieronymus) *primus ad officium*

[a] *Vide Sup. lib 3. Epist. 3.*

[b] *Epist. 13 1. ad Ruff.*

*um prouocasses, mihiq; secundas in respondendo partes dedisses. Quod non de incuria tui, sed de ignorantia veniisse* existimabis. *Si enim* quicquam de tuo in me affectu *sciissem, præoccupassem sermonem tuum.* Iam verò præoccupatus, quid optatius respondebo, nisi gratam mihi fuisse & gratulationem tuam, & cohortationem. Gratulationem, de Catholica matre Ecclesia inuenta : cohortationem, de eadem constanter tuenda propugnandaque. Quo vtroque nihil Sanctius à te dici potuit, viro ijsdem pariter mecum erroribus diu quassato, atque eadem tandé cœlesti gratia condecorato, vt si eandem tibi gratulationem reponam, nullo te aptiori munere remuneratur videar. Sanè cæcus ego amensque diu in tenebris palpitaui, ac cæciores etiam me per præcipitia duxi, traxique. Illuxit tandem ille, [c] *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: meque iam ad portas inferi progressum, superas reuocauit ad auras, verumque paternæ domus ostium commonstrauit, patrum pedibus tritum, Martyrum sanguine signatum, orbis fide cinctū. Quod vt ego lustris illis *Caluini* aut speluncis *Lutheri* iterum permutem, nulla me vnquam vis, nulla fraus adducet. Quin sto ego in fide Catholica Romana cum pijs maioribus nostris sincerus firmusque, sto securus in-

[c] Ioan. 1. 9.

ſtar muri ahenei, futilia inimicorum tela exalto deſpiciens,& ſtultitiam eorum patienter miſerans, Deo etiam quotidiè pro ipſorum cæcitate humiliter ſupplicans. De ſcriptis meis ſanè vellem penes me quoq; tantum facultatis eſſe, qui aliquid vtilitatis reuocandæ patriæ afferre poſſem. Sed profectò vides quis ſim,primi tyrocinij miles, nec maiorum ad edomandos familiares virium, quam Dominus ipſe fuit, quem diſerte[d] Euangeliſtæ *parum virtutum in patria ſua edidiſſe* ſcribunt, ideoq; cum infausto hoc Epiphonemate inde migraſſe:[e] *non eſt propheta ſine honore,niſi in patria ſua,& in domo ſua.* Cæteroqui *Apologia* iam vernaculè reddita eſt. Nouorum ſcriptorum neſcio quantum deinceps elimare poſſim,qui vt[f] Sanctus olim *Iacob* ſeniori *Liæ* Iunioré *Rachelem* dudũ ſibi dilectam ſuperinduxit, ita ego nuper priſtino meo Theologiæ ſtudio ſororculam Iuriſprudentiam aliquandiu deperditam adiunxi ſociam, mihiq; etiam publicè *Senis* deſponſatam huc aduexi, familiariorem deinceps, vt vides, operam futuram.

*d Matth.13. 57.*
*Luc. 4. 24.*
*Ioan. 4. 44*
*e Ibidem.*
*f Geneſ. 29. 23.28.*

De cætero itinere *Italico* omnia ceſſerũt (Dei gratia) feliciſſimè. Teſſerã hoſpitij *Baroniani* ipsũ cognomentũ, vt vides,aſportaui. Illuſtre dices & ſplendidũ, fateor,ſed ei[9] merito qui dedit, non meo qui abſtuli. Ca-

ue enim

ue enim [g] nos eius æstimes virtutibus. In illo conspicies expressa sanctitatis vestigia: & ego cinis & vilissima pars luti, & iam faulla, dum vertor, satis habeo, si splendorem morum illius imbecillitas oculorum meorum ferre sustineat. Ille modo [h] se lauit, & mundus est & tanquam nix dealbatus. Ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperior cum tremore [i] reddere nouissimum quadrantem. Sed tamen quia [k] Dominus soluit compeditos, & [l] super humilem, & trementem verba sua requiescit, forsitan & mihi in sepulchro scelerum iacenti dicet, Iuste [m] veni foras. Vale Illustris Domine, meque in numero tuorum habere perge. Mogunt. 12. Calend. Decemb. M. DCII.

g Hieron. Epist. 5. ad Floront.

h Psal. 50. 9.

i Matth. 5. 27.

k Psal. 145. 8.

l Isai. 66. 2.

m Ioan. 11. 43.

## EPISTOLA XIV.

### IVSTVS BARONIVS VETERA-canstrensis

### *ANDREAE VERMADIO, SOcietat. Iesu Theologo.*

*S.P.D.*

REVERSVM me ab *Italica* profectione, iam fama puto intellexisti. Gratulare igitur reduci. [a] Nam *multi egressi, nunquam domum reuertere.* At tu seriem successumq; itineris mei nosse desideras? Accipe igitur, & ignosce festinanti *Minervae*, quam in me-

a Cic. in Tusc.

is plerunque dominari animaduertisti. Iter ingressus sum 4. Non. Maij: sed ita vt *quemadmodum* [b] *apes ventosum aliquod promontorium circumvolitare*, ne Zephyrorum vidisijciantur; *sepsas exiguis lapillis in os sumptu quasi saburrant*: sic ego quoq; me in vestrorum illorum finium prætergressu omninò ficto sclemate & magno silentio saburrandum duxerim. *Argentinam* hoc vultu saluus appuli, ibidemque triduo *Windenio* nostro & *Iohanne Henrico* fratre expectatis, tãdem recta *Basileam* contendimus. Vbi pomeridiani temporis opportunitate inuitante, scholas Theologorum ingressi, occasionem disputandi quæsiuimus, sed non nisi finitis lectionibus inuenimus. Hic enim consalutato Professore publico *Amando Polano*, *Iosephus* noster nescio quam *Ratisbonensis Colloquij* inijciens mẽtionem, tempestiuam sermocinationis materiam submministrauit. De qua vltro citroque sesqui horam fermè velitati, verborum satis, intelligentiæ parum apud miserum *Caluinianum* deprehendimus, qui statum quæstionis *de iudice controuersiarum ac diuinorum librorum Canone* non aliter quàm ex calumnijosis illis magistrorum suorum prę-iudicijs repeteret: Maiorẽ scilicet Scripturę quã Ecclesiæ authoritatem esse, ideoq; scripturæ fidẽ vel authoritatẽ ab Ecclesiæ nutu neu-

[b] *Plutarch. de solert. animal.*

tu neutiquam dependere, multo minus Ecclesiam controuersiarum iudicem esse posse. Nugas. Quasi verò quisquam nostrum Scripturam Ecclesiæ tanquam partem parti opponendam contendat, ac non potius id agatur, sincerum Canonem sua scilicet natura θεόπνευστον atque ἀξιόπιστον, non aliunde quã ex Ecclesiæ magisterio nobis, nobis inquam, innotescere, sinceram etiam Canonis interpretationem non aliunde quàm ab eiusdẽ Ecclesiæ oraculo nobis requirendam, aut expectandam. Sed hæc tu scis PATER, ille nesciuit, aut saltem se scire dissimulauit. Itaque nos eum non sine amica cohortatione atque obsecratione dimisimus, ac proximo biduo *Lucernam* perreximus: vbi celebrata Pentecoste ac salutatis Patribus vestris, nec non *Capucinis* Monachis, sexto post die, ipsis Calendis Iunijs profundissimis *Gotthardi* niuibus ac rigidissimo gelu superato, visoque *Iouij* nostri *Como*, magnum illud S. Ambrosij *Mediolanum* attigimus. Quod vt verè tibi dicam, minus fama quàm re habere videtur. Vidimus quæ vsquam fuerunt ἀξιομνημόνευτα. Nec tamen quia ea vndiquaque nunc peruulgata, quicquam huc infarciendum duxi. Sepulchrum *S. Ambrosii*, sepulchrum *S. Marcellinæ Virginis*, & *S. Simpliciani* simul venerati, ad pijssimi illius *Ambrosii* Iunioris

(*Caro-*

(*Carolum Borromæum* dico, admirabilis sanctitatis virum, dum vixit, admirabilioris gratiæ dum mortuus est) manes in Summa Æde perreximus: cuius tu cultum, cuius miracula si videres, nulli Sanctorum aut Martyrum postponendum iudicares. *Mediolano* nos auocauit *Placentia*: *Placentiâ Parma*, vbi spectaculum celebritatis *Festi Corporis Christi*, eam nobis religionis Sanctimoniam, eam Cleri populique confertam multitudinem monstrauit, quàm nullus ante hac vsquam *Germaniæ Italiæue* locus. Hinc *Regio*, *& Mutina* obiter lustratis, celebrem illam & vetustam studiorum matrem *Bononiam* capessiuimus, ibiq; visendis templis, spectandis celebrioribus monumentis, salutandis conterraneis *Germanis*, quorum ibi maiorem multo, quam *Senis* aut *Perusiæ* numerum inuenimus, corporibus denique reficiendis, ac lassitudine abstergenda, integrum quatriduum consumpsimus. Amæna vrbs, splendida, amica Musarum hospes, nec minus pietatis, cuius haud falsum nobis gustum *S. Dominici* familia, Hispanicis structuris indies magnificentior, nec non nobile *S. Michaëlis in Busco* Monasterium, amæniſſimo ac saluberrimo extra muros colle inædificatum, præbuit. Sed pietatem Sanctissimæ *Lauretanæ domui* reseruo, non tam marmore suo, quã

Beatissi-

Beatissimæ Virginis rudi latere admirandæ. Est hic non stato die (quod [c] ille de fano suo gloriatur) sed toto anno maximus vniuerso ex orbe hominum confluxus, maxima ex *Gallijs, Germania, Hispanijs, Indys* ac remotissimis etiam populis, Principibus ac Regib⁹ anathemata, quotidiana sanationũ miracula: *plurimæ res aguntur, plurima vota suscipiuntur, plurima redduntur*, quæ nos omnia oculis nostris vidimus, & piè mirati veneratiq; sumus. Præcipuum duco, quod *in ipsa interiori ædicula*, quàm oculis suis & sermone, vita sua & obsequijs, somno suo & vigilijs, precibus suis & gemitibus, corporis denique & animi sui agitatione toties ille Princeps salutis nostræ *Iesus*, toties castissima mater eius *Maria*, toties beatissima auia *Anna*, cum fidelissimo nutritore *Iosepho*, cũ perpetuis *Angelorum* excubantium choris cõsecrarunt ac dedicarunt, non solum preces ad Deum fundere, non solum feliciter propè confecti itineris gratias reddere, sed & ad maiorem constantiam, ad maiorem firmitudinem & felicitatem cœlestis hostiæ alimoniam accipere licuit. Facio hæc maximi, & faciunt mecum tot religiosi millenorum peregrinorum animi, qui quotannis magno ardore, maximo numero ad hanc Sacram ædem tanquam ad verissima Saluatoris incunabula conuolant: maiori

[c] Plin. lib. 9 Epist. 39. ad Mussium.

maiori certè iure, quàm ille *Traiano* suo adulatus, [d] *Veniet* inquit, *tempus, quo posteri visere, visendum tradere minoribus suis gestient, quis sudores tuos hauserit campus, quæ refectiones arbores, quæ somnum saxa prætexerint*, QVOD DENIQVE TECTVM MAGNVS HOSPES IMPLEVERIS. Sed habes hæc omnia elegantissimè à *Tursellino* tuo libris quinq; explicata. Ego igitur me hinc ROMAM Capessо, quo 12. Calend. Iulij delatus, octauo circiter die post, (interea secreto itinerum molestijs leuatus) à quodam *Congregationis Oratorij* Presbytero, *P. Iuuenale Ancina*, nunc Episcopo Saluciano in Sabaudia, in Palatium *Ill^mi Cardinalis Baronij* introductus, ab eodemque humanissimè exceptus sum, verbo, nutu, complexu, & constanti denique ad abitum vsque meum hospitio. Quo si manerem in Vrbe vel voluissem, vel potuissem, perpetuo (ipso crebro pollicente) vti licuisset. Hic vero quid? Omnia bonitate, pietate & religione plenissima. Atq; vt præteritis publicis, quæ iam vbique satis peruulgata, priuata aliquot nostra commemorem, BARONIVS titulis *Cardinalis*, & imaginibus, & signis, cæterum modestia, labore, humanitate, studio, nullo priscorum suorum *Oratorij* Collegarum inferior, mẽsa sua perpetuò me dignatus est: fratrem in eodem triclinio aulicis primarijs assidere voluit:

[d] *Plin. in Paneg. Traian. dicto.*

voluit: sumptis prandijs quotidiè mecum semihoram de rebus meis & deplorato *Germaniæ* statu suauissimè contulit, rheda etiam sua sæpissimè ad Sacra, ad Cõgregationes, ad sacrorũ locorũ visitationes abduxit. Deniq; cũ *medius annus multũ in cõmutandis hominũ moribus valeat, in Principũ plus, summum illud purpuræ decus* (quod ille quoque [e] *Traiano* suo laudi dat) adeo nihil de pristina ipsius humilitate immutauit, vt *liberum sit* veniente *per publicum principe subsistere, occurrere, comitari, præterire. Ambulat* inter suos, non quasi Dominus, sed parens: *& copiam sui non vt imputet facit. Hæret lateri eius quisquis accessit, finemq; sermoni suus cuiq; pudor, non eius superbia facit. Eminet, excellit,* tum virtute, tum *corporis procèritate* & grauitate *elatior aliis & excelsior.* Cætera *par omnibus,* & *hoc saltem maior, quo melior. Magna ante eum, magna post eum, iuxta tamen maxima quies, tantum vbiq; silentium, tam altus pudor, vt ad par nos penates, & larem angustum ex domo Principis modestiæ & tranquillitatis exempla referantur. Ipse autem vt excipit omnes? vt expectat? vt magnam partem dierum inter tot* variorum laborum *curas quasi per otium transigit?* In mẽsa eius *non aurum, non argentum, nec exquisita ingenia canarum,* sed frugalitas sine defectu, suauitas iucunditasq; cum grauitate.

[e] *Caium Plinii in Panegyr. Traiano dict. Vnde & cætera pleraq; mutuata.*

*Neque*

*Neque enim aut peregrinæ superstitionis mysteria, aut obscæna* garrulitas triclinio *eum oberrat*, sed auscultationes sacræ, *benigna inuitatio*, liberalis sermocinatio, *studiorum honor. Inde illi parcus, & brevis somnus*, à somno salutationum studiorumq; vicissitudo: quibus ita immergitur, vt cæteros sui similes *doceat inertiæ renunciare, paulisper delicias differre, paulisper ex illo felicitatis somno velut excitatos* induere armaturam fidei, desudare pro Ecclesia, *esse denique quod concupierunt, nec ideo tantum velle* Cardinales *fieri, vt fuerint.* Hæreticos non tam acerbè odit, quàm humaniter illis condolet. Rem Sacram quotidiè facit. Vesperas singulas *Litaniis* ad Sacelli sui aram cum aulicis prouolutus claudit, precum ac suspiriorum nunquam liber, hilari cæteroqui vultu ac pectore, Catechetes etiam Palatii sui diligentissimus, non quotidianis solum ad mensam lectitationibus: sed & Sabbathinis Euangeliorum interpretationibus: quibus pridie Dominicarum publicis in Vrbe Concionibus rectius assequendis aulam suam vtilissimè solet præstruere. Deniq; vt infinita prætermittam, sacrarium quasi religionis est, Oraculum totius orbis, vndiq; ad eum concurritur, vndiq; scribitur: nullus prope in Italia aut Germania, nullus in Gallia aut Belgio, nullus in Hispania aut

Polo-

Polonia aut aliis longius dissitis prouinciis illustrior est, quin amicitiam eius appetat, nullus doctior, quin notitiam, nullus afflictior, quin opem & patrocinium. Tanta quotidie facit, quanta si quisquam illorum veterum præstitisset, *illi iam dudum* (vt ait [f] ille) *radiatum caput & media inter Deos sedes auro staret aut ebore, augustioribusque aris & grandioribus victimis inuocaretur.* Sed quid ego hæc tam peruulgata toto orbe repeto? Ad priuata potius nostra accingor, ad singularem illam propeque diuinam nobis in aula Baroniana exhibitam humanitatem, ad beneuolentiam, ad liberalitatem, ad studium, ad benignitatem; quę certè omnia tãta fuerunt, vt illis explicãdis par esse sermo meus neutiquam possit. Semel dicam: vt filii excepti fuimus, vt filii habiti, vt filii tractati ac dimissi: neq; id à Baronio tantum, verum etiam à cæteris Illustrissimis Cardinalibus, Patronis nostris, *Aldobrandino, Parauicino.* Nam *Bellarminum*, quod vel maximè doleo, videre non licuit. Dilucula calorum liberiora in obeundis templis, visendis statuis & antiquitatibus consumpsimus, vsi ad hanc rem duce *Iohanne Baptista Hansenio*, Baronio tum nostro à Secretis, duplicique fructu, voluptatis ac doctrinæ inuitati. [g] *Quemadmodum* enim *Græcorum historias magis intelli-*

[f] Plin. ibid.

[g] Hieron. Epist. 108. ad Dominic. & Rogat. in lib. Paralip.

*telligunt, qui Athenas viderint, & tertium Virgilii librum, qui à Troiade per Leucaten, & Acroceraunia ad Siciliam, & inde ad ostia Tiberis nauigauerint: & Sanctas scripturas, qui Iudaam oculis comtemplati fuerint, & antiquarum vrbium memorias locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognouerint:* ita & nobis hanc circuitionem noſtram ad *Liuii, Dionis, Plutarchi,* cæterorumq; Latinæ hiſtoriæ Principum monumenta rectius capienda, facem prælaturam ſperamus. *Baronius* non [h] Platonica tantum, ſed & [i] Chriſtiana Philoſophia tempeſtiuè mortalitatem ſuam meditatus, in Eccleſia ſua, vt loquuntur, *Titulari,* ſplendide certè à ſe reſtaurata & ornata, ante ſummum altare, iuxta SS. Martyrum *Nerei & Achillei* ſepulchrum, viuus ſibi ſepulturæ locum cum hac inſcriptione deſtinauit. APVD SS. MARTYRES PATRONOS SVOS CÆSAR BARONIVS SORANVS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS SS. NEREI ET ACHILLEI LOCVM SEPVLTVRÆ VIVENS ELEGIT. ANNO IVBILÆO M. DC. Hæc de Baronio. Venio ad Pontif. Max. Venerandum certè & amabilem ſenem, cuius non minor in me humanitas, non minor beneficentia & pietas extitit. Vidi illum primo in Veſperis vigiliæ SS. *Petri & Pauli,* vbi pro more totus Cardinalium cœtus oſculo defixo fidem reuerẽtiamque

*h Plato in Dialog. de Sapient. Clem. Alex. libr 4. ſtro. Hieron. Apolo. nauer. Ruffin. Cic. 1. Tuſcul. i Eccli. 7. 40. & 38. 21.*

que illi suam oppignerabat. Postridie priuatim in *Vaticano*, deducēte me *Baronio*, ad aspectū eius colloquiūq; admissus sum. Vbi varia de publicis & priuatis rebus nostris, de Catholicis & hæreticis, de omni etiam fortuna mea (vt humilitatem mirere) percontat⁹, præter varia amoris indicia & argumenta id tandem beneficii mihi obtulit, subsisterem *Romæ*, omnem se familiam meam eo quoq; accersiturum, ac necessaria nobis subsidia paternè prouisurū. Sed quia *beneficiorum principalium summa est, si illis & nō licet vti*, modestè detrectaui, non sanè illis ex rationibus, quibus *Marcella* suæ fastidiū vrbis instillare conantur Paula & Eustochium, *potentia, magnitudine, multitudine, ambitione hominum, qui* cupiunt *videri & videre, salutari & salutare, laudare & detrahere, audire & proloqui*, ita vt *superbas fores & inter linguas rodentium ministrorum postes ingredi auratos* sæpe cogamur: verum multò magis longissima interiacentis soli vastitate, tum montibus *Pyrenæis, & Alpibus*, immensisque aliis difficultatibus, quas sine præsenti discrimine familiam meam, tenelloſque liberos vix superare posse videbam. Detrectaui igitur, & hoc beneficii genus cum alio permutaret petii, quod haud inuitè se facturum spondebat Optimus Pontifex. Quid quæris? Cætera his omnia simi-

*k Apud S. Hieron. Epist. 17 ad Marcell. & Ut eommgret in Bethlehē*

lia. Vnum quasi προθήκης loco accipe. Calendis Septembribus, cum pridie in *Oratorii* Sacello ab *Ill^mo Sidonio Episcopo cõplementũ*, vt loquuntur, *cæremoniarũ baptismalũ* accepissemus, ille ipse Pontifex non satis firma valetudine è *Quirinali* in *Lateranum* venit, ibiq; primum de geniculis ad *Scalam Sanctam* precatus, post in Ecclesia *Lateranensi* Sacris operatus, mihi & fratri frequẽtissimo populi conuentu, partim Dominici corporis Sacramentum, partim Christianæ confirmationis Sigillum Sanctissimis ipse manibus suis contulit & impressit. Quo die quoq; exuuiæ gẽtilitij cognominis nostri planè deletæ, & auspicatiori hoc, quod vides, permutatæ sunt. Constringit hac humanitate sua ita omnium animos Pontifex, vt[l] *cũ maxima illi non minus atq; Imperatori illi concordia, maximus concentus omnium laudum omniq; gloriæ contigerit, nihilq; hilaritati eius seueritas, nihil simplicitati grauitas, nihil humanitati maiestas detrahat:*) vt inquam in vnius eius salutem omnium vota conferantur, omnes eum vt genuinum Patrem ac cœlo demissum angelum libenter colant ac venerentur. Quod quidem PATRIS nomen tanta ille benignitate, tanta indulgentia erga quosuis exercet, vt (quod maximi in Principem amoris argumentum esse voluit[m] Plinius) *cum publicè inuehitur,*

[l] *Plin. Secund. in Paneg. Traiæ.*

[m] *Plin. ibi.*

*bitur, vel importatur, non ætas quenquam, non valetudo, non sexus retardet,* quo minus oculos tam fausto sydere oblectare gestiat. *Illum paruuli noscere, ostentare iuuenes, mirari senes, ægri quoq; neglecto medentium imperio ad conspectum eius, quasi ad salutem sanitatemq; prorepere. Videres* solennioribus festis *referta tecta ac laborātia, ac ne eum quidē vacantem locum, qui non nisi suspensum & instabile vestigium caperet. Oppletas vndiq; vias, angustumque tramitem relictum tibi: alacrem hinc atque inde populum, vbiq; par gaudium paremq; clamorem.* Vt merito cum eodem, quo cum cœpi, claudam narratiunculam meam: [n] *Intelligamus,* PATER, *bona nostra, dignosq; nos tanti* Pontificis *vsu probemus: vota* pro eo apud Superos ardentia interponamus, *identidemq; cogitemus, nobis ac* toti Ecclesiæ *nos precari, quæ pro salute eius precaturi sumus. Et quod præstabilius est aut pulchrius* Dei Opt. Max. *munus, quam castus & Sanctus, & Diis simillimus princeps?*

*n C. Plin. ibid.*

Habes historiolam eorum VERMADI, quæ nobis in vrbe contigerunt, tum adeunda illa tum frequentanda. Accipe breuiter ea, quæ in reditu in Germaniam. XV. Calend. Octob. habitis Pontifici gratiis, acceptaque ab eodem paterna benedictione nec non salutatis ordine Ill^mis Cardinalibus, Patronis & amicis, inprimisq; Baronio

noſtro munificentiſſimo Patre (quid enim hoſpite dicam, cum illud ipſum Sanctiſſimum Patris nomen, leuius eius erga nos meritis videatur) non ſine lachrymis exoſculato, poſtridie cum fratre ac duobus collegii Germanici alumnis *Gregorio Bernitio* & *Iohanne Zollero Canonicis*, illo *Vratislauiensi* hoc *Curiensi*, vrbe egreſſus, *Lauretanaque* domo viſitata, ſeptimo poſt die *Perusiam* venimus, vndecimo *Senas*. Quo vtroq; loco quid noui nobis conſilii in mentem venerit, quibus laureis redimiti & condecorati fuerimus, quia toties commemorare tædet, ac ſuperbum forte eſt, en tibi litteras hac ipſa de re ad *Baronium* noſtrum iam dudum exaratas. Quæ ſi minus tibi ſufficiunt, reſeruabo cætera tuo ad nos aduentui, quem propediem futurum confido. Nos *Senis* digreſſi, celerrimis itineribus *Florentiam* perreximus, Italicarum vrbium quaſi Helenam. Inde *Bononiam* & *Ferrariam*, quarum hæc non ciuibus ſolum ſuis inimica, pleroſq; *Padi* eluuionibus fugat, verum & mihi parum auſpicata, qui proxime ante portam, & paulopoſt in medio foro cum adueſperaſceret, bis eadem hora, equi cæſpitatoris infortunio grauiſſime terræ alliſus, iam iam de fracta ceruice periclitari videbar. Sed manum ſubpoſuit Deus, lapſum erexit Augelus, viæ dux & comes, vt præter

ter leuissimum cruris dolorem incommodi nihil asportauerim. *Ferrariam* excepe-
runt *Venetiæ*, prodigiosa Vrbs, & cum mi-
raculo instar μικροκόσμου [o] *super maria fun-*
*data*, spectaculum profectionis nostræ vl-
timum. Nam inde breui Germaniæ limiti-
bus appulsi, patrios iterum mores agnoui-
mus & induimus. Nam *Tridentini* & *Tyro-*
*lenses*, aut nostri iam sunt, aut nostris simili-
mi: notiora etiam eorundem in vulgus κεφα-
λιά: quam vt huc accersi mereantur. De
*Augusta* taceo. Quæ enim præcipua ha-
bet, tibi haud puto esse ignota. De *Herbipo-*
*li* magnam gratiam debeo *Illmo Iulio Epi-*
*scopo & Franconiæ Duci*, qui transeuntem
non clementissimè solum complexus, sed
& triduo integro in aula sua liberalissime
hospitatus, omnia amoris & beneuolentiæ
signa mihi cumulatè exhibuit, professionis
etiam publicæ copiam spondens, si mane-
re secum cogitarem. Sed reuocabat me dul-
cis *Moguntia* mea, *ad Rheni* non vt [p] *Hiero-*
*nymo* olim visum est, *semibarbaras*, sed vt o-
mnes nunc norunt, *sesquilatinas ripas*. Ad
quas XVIII. Calend. Decemb. feliciter re-
uersus, finem vniuersæ profectioni meæ
imposui, redditisque Deo ac piis cælitibus
gratiis, præsentiam meam familiæ, operam
*Illmo Archiepiscopo Moguntino* ad proximos

[o] Psal. 23. 2.

[p] Epist. 41. ad Ruffin.

annos despondi. Qui vt multi sint, aliquantoq; felicius quam hactenus currāt, tu quæso precare mecum sedulo, *Vermadi*, ac longum Vale. Mogunt. Non. Decemb. M. DCII.

---

## EPISTOLA XV.

## BEATISSIMO IN CHRISTO Patriac Domino, CLEMENTI VIII. Pontif. Max.

*IVSTVS BARONIVS VETEracastrensis S. P. D.*

*Beatissime Sanctissimeque Pater, Domine Clementissime.*

QVANTA mihi à pueritia *Romam* vidēdi cupido, tantum nunc vidisse gaudium, tantumq; videndi iterum atque iterum desiderium. Non sane *Capitolii* spectandi, aut arcuum, aut circorum, aut thermarum, aut pontium, aut obeliscorum veterum illecebra, quæ voluptatis aliquantum, pietatis parum habere videntur: Sed insignia illa Christianorum Martyrum trophæa, sanctissima Apostolorum vestigia, & *gentilitatis calcatæ, inque sublime se quotidie erigentis vocabuli Christiani* incunabula, quotidiana veneratione colendi atque exosculandi cupiditate. Quæ mihi non minor in *Romam*

illam

illam vestram (ô beatam sedem!) quam S. [a] *Hieronymo* in *Palæstinam* illam suam: in *Hierosolymam*, in *Bethlehem*. Nam & hic *Petrus* & *Paulus* Christiani Exercitus duces sanguinem pro Christo profuderunt: hic infinita Martyrum millia vt holocautomata Deo mactata, [b] *quorum & sepulchra venerari, & sanctas fauillas oculis apponere, quin & ore contingere* frequenter licet. Hic [c] *Diabolus & Angeli eius quotiescunque ante tumbas eorum de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu tribunalis Christi*, atq; omnium Sanctorum consessu *stantes, contremiscunt, rugiunt, & sero dolent* trucidasse *quos timeãt*. Huc *multi Sancti & illustres viri, toto quotannis orbe vota & deuotiones deferũt, putantq; minus se religionis minus habere sciẽtiæ, nec summã vt dicitur manũ accepisse virtutũ, nisi in illis Christum adorarint locis*, quæ Apostolorum vestigiis calcata, Apostolorum sanguine respersa, Apostolorum vita & morte consecrata fuerint. Atq; hæc voti mei causa vna, publica. Altera priuata est ex singulari tua, *Pontifex Opt. Max.* in me humanitate & beneficentia, non solum absenti mihi sæpius, sed & nuper in vrbe coram ita clarè omnibus signis testata, vt si pares mihi gratiæ non referendæ (quî enim id sperem?) sed quod vel maximè decet, agendæ sint, omnem sermonis mei facultatem

a *Hieron. Epist. 18. ad Marcel. Item Paul. & Eustoc. ad Marcel. vt communicaret Bethlehem, apud Hieronymum Epist. 17.*

b *Ibidem.*

c *Ibidem. Adde Chrys. hom. 66. ad popul. Antioch.*

tem in hoc tam vasto campo leuissimè consumpturus videar. [d] Audiueram pridem te omne Pontificis munus cumulatè exequi, audiueram te esse Sanctissimũ, humanissimum, patientissimum, sed audiueram tantum. Cogitaui igitur æquum esse, aliquando me iudicio meo, meis oculis, non famæ semper & rumoribus credere. Veni *Romam*, vidi, æstimaui, omnia maiora spe & expectatione inueni: vt quotiescunque te vel loquentem, vel orantem, vel sacris operantem intuerer, recursaret subinde regia illa *Sabæa* ad *Salomonem* vox: [e] *Verus est sermo quem audiui in terra mea, super sermonibus tuis, & super sapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probaui quod media pars mihi nunciata non fuerit: maior est sapientia & opera tua, quam rumor quem audiui.* Quid enim? infinita tacebo, mea tantum narrabo. Veni in vrbem ego [f] *pulex & canis mortuus*, intellexisti, accersiuisti, admisisti, vidisti, benedixisti, audiuisti, respondisti, congiaris ornasti, ad *Lateranum* prosecutus binis Sacramentis cõmuniuisti, Sacram hostiam ori, sacrum Chrisma fronti contulisti: deniq; vias retrò capessentem, noua benedictione, noua liberalitate affecisti. Quæ profectò omnia tanta sunt, vt si non impiorum lance, non statera populi dolosa, sed iustissi-

d Plin. in Paneg. Traian.

e 3. Reg. 10. 7.

f 1. Reg. 24. 15.

stissima piorum Christianorum trutina ponderétur, non vulgi tantum, sed & summorum virorum & principum memoriam alere, admirationem exercere queant. Sanè nostrates hic præteritam ætatem præcipuis meis felicitatibus asscribunt, atque ipse *Illustrissimus Archiepiscopus* noster tanto libentius in numerum *Consistorii* sui *Assessorum* cooptauit, quem tot tantisque tuis beneficiis haud habitum indignum intellexit. Gratiæ igitur immortales sempiterno Deo, qui huius tam auspicati itineris mihi author comesque extitit: gratiæ tibi *Sanctime Pontifex*, qui tam paternè aduenam excepisti, tam clementer habuisti, tam liberaliter dimisisti, eamq; rem omnis deinceps fortunæ meæ faustam esse sementem voluisti. Non obliterabit hanc mihi aut liberis meis, (quos beneficio tuo honestius sanctiusq; Catholicæ fidei præceptis fideliter imbui sino) vlla vnquam temporis obliuio memoriam. Quin coniunctis semper votis incolumitatem tuam Domino Deo ardentissimè commendabimus, vt & corporis robore, & animi tranquillitate, & vitæ longæuitate, & negotiorum omnium prosperitate, inprimis verò huius amplissimæ Ecclesiasticæ gubernationis optatissimo successu, vberrimum te tuorum erga nos meritorum fructum percepisse cognoscas. Vale

le Sanctᵐᵉ Pater. Mogunt. prid. Idus Decemb. M.DCII.

## EPISTOLA XVI.

ILLᵐᵒ ET REVᵐᵒ D. CÆSARI BARONIO Sorano S.R.E. Cardinali

*IVSTVS BARONIVS VETERacaſtrenſis S.*

*Illᵐᵉ & Reuᵐᵉ Dⁿᵉ.*

AD 18. Calend. Decemb, cum variæ varijs ex cauſis mihi hinc inde nectendę fuiſſent moræ, tandem Deo duce, Angelis comitibus, precibus votiſque veſtris ſuffragantibus, *Moguntiam* ſaluus & incolumis redij, familiamque de manu Dei protectoris optimè cuſtoditam recepi, gratulantibus amicis, applaudentibus vicinis, tripudiantibus liberis. Quo nomine, vt debui, diuinæ Maieſtati, ac cælitibus omnibus, maximè glorioſiſſimæ Virgini Matri, ac S. Angelo duci ad *S. Crucem* noſtram Sacro inſtituto, gratias cum meis ardentiſſimas habui, habeboque deinceps tanto ardentiores, quãto maius & inſuetius beneficiũ agnoſco tã longã tamq; difficilẽ viam vltro citroq; inoffenſo pede conficere: *Romam* Orbis Dominam, tantis omnium virtutum luminibus claram, plenis oculis intueri, tantorum

tum Principum amore, hospitio ac liberalitate frui, viuisque ad pietatem exemplis instrui, quod ego in omni re potissimum iudico. ô quam sæpe mihi in animo illa sacra cultusq; Romani: Patrum sanctissima Concilia, fumans millenorum Martyrum sanguis, *Baroniana* domus matutinæ vespertinæque religiones, *Oratory* preces, flagra, concentus, aliaq; sexcenta huiusmodi pietatis fomenta alia, quæ ego sic pectori meo insculpsi, vt quandiu *Roma* absum, dulcissima patria carere videar, alienoque solo peregrinari. Sed *Moguntiam* redeo, tutum hactenus asylum nostrum, & vt spero deinceps futurum tutius: siquidem (quod non sine tripudio nuncio) vestris tandem commendationibus Spartam diu expectatam hic ab *Ill^mo Archiepiscopo* nostro nanciscilicuit. Quæ si minus spes respõdisset, *Ill^mus D. Iulius Herbipolensis Episcopus & Franconiæ Dux* (quem tua atque *Aldobrandini Paraueiniq;* causa nihil non velle intelligo: ita crebrò vestri meminit, ita libenter largiterque vestro mihi nomine honorem habuit) locum in Academia sua destinarat. Neque ego multum ab hoc consilio abhorruissem, nisi multis hactenus beneficijs *Moguntinis* nostris me aliquanto sensissem obstrictiorem.

De *Perusina* ac *Senensis* Laureæ gratulatione,

tione, gratiam tibi ingentem habeo. Nec opus fuisset huc vsque officij descendere, cum mihi hoc vnum in votis esset, meum tibi cæterisque patronis consilium probare. De studio in Ecclesiam & fide, iubeo te quam esse securissimum. Nec quod dubites scribis, scio, sed quia mos est ita monendi, mones, monendoque laudas, *Ouidio* auctore, quem ego hic animi tui interpretem sequor.

a Ouid. 5. Trist. 15.

[a] *Qui monet vt facias, quod iam facis, ille monendo*

*Laudat, & hortatu comprobat acta suo.*

Vale, & mihi vultum moresq; tuos perpetuò ob oculos versari scito, quibus assequendis etsi me nunquam parem fore noui insequar tamen vt potero, & hanc mihi laudem maximam, tibi gratitudinem summam ducam, si ut *Paruus* ille *Iulus* dextræ se patris *Aeneæ*

b Virgil. 2. Aeneid.

[b] *Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis.*

Ita & ego vestigijs tuis minori licet pede insistere, nomenque *Baronianum*, *Baroniano* studio & diligentia, probitate etiam & candore (nam cætera altioris cuiusdam æmulationis sunt) cohonestare pro viribus annitar. Vale iterum & cum Illustrissimis Collegis tuis, *Parauicino* atque *Aldobrandino*, quibus simili propè exemplo scripsi,

æternum salue. Mogunt. Prid. Idus Decem. M. DCII.

## EPISTOLA XVII.

ILL^mo ET REV^mo D. BERNHARdino Paulino S^i D^i N^i CLEMENTIS VIII. Pontif. Max. Datario.

*IVSTVS BARONIVS VETERAcastrensis S.*

*Ill^me & Reu^me D^ne.*

QVANTA vis amoris sit ac φιλανθρωπίας, vel feræ bestiæ norunt, atq; anniculi bimuliq; infantes. Vt enim hi blandam nutricis vocem obuijs vlnis sequuntur, horridam patris fugiunt & auersantur: ita illæ multis amantibus vicem rependerunt, si *Plutarcho*, si *Gellio*, si *Aeliano* credimus. Expertus igitur ego nuper in vrbe singularem quandam tuam in me meosq; humanitatẽ ac beneficentiam, accensus etiã varijs & honorificentissimis gẽtis nostrę tũ hic, tũ illic de te prędonijs & laudibus, eum erga te animum concepi, quem erga dilectissimos mihi, & sanctiori quadam nota colendos gerere soleo. Nec mihi satisfeci, donec hoc ipsum ad te perscriberem. Tegi recusat amor, multo magis premi, flagraturus tanto impatientius, quanto maioribus vmbraculis inuolutus fuerit. Flagitabat id ipsum

ipsum gatitudo. Macte igitur animo Ill^me Domine, tuo nomini plaudit *Italia*, plaudit *Germania*, plaudunt noti, plaudunt ignoti, plaudit etiam paupercula musa mea: quam vt florentiorem locupletioremque redderes, scis ipse quibus adminiculis suffulseris, quibus stimulis excitaris. Macte animo, nec lassare, quod aucupes quosdam tibi sors offert minus rectos. Contemne: constabit nihilominus tuum tibi præmium, Ecclesiæ gloria, Pontifici laus, qui quod spem Romani nominis sumptibus ipse suis suscipit, rectè facit. [a] *Nullum est magno principe, immortalitatemq; merituro impẽdij genus dignius, quam quod erogatur in posteros.* Nec grauius Ecclesiæ occasum, Reipub. interitum accelerat, quam qui præmia virtutibus negat, pœnas sceleribus. Quæ omnia ego ad te gratiarum actionis loco, quam si breuem impolitamque iudicabis, ignosce. [b] *Animaduerto enim etiam Deos ipsos, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate lætari: gratioremq; existimari, qui delubris eorum puram castamq; mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.* Vale. Mogunt. Prid. Idus Decembr. M.DCII.

[a] *Plin. in Paneg. Traian.*

[b] *Plini. Secund. ibid.*

Eos

## EPISTOLA XVIII.

### *IVSTVS BARONIVS VETERA-castrensis*

### THOMÆ BOZIO EVGVBINO

clariss° Theologo, Congregat. Oratorij Presbytero S.

NIL mihi iucundius est, *Clariss^e Bozi*, quam ex quo tempore te cæteroſque *Oratorij* patres, doctiſſimos ſane illos & humaniſſimos, cognoui, totum veſtrum & eſſe & videri. Plurimum me affecit humanitas veſtra, auxit eruditio, pietas informauit, zelus denique Catholicæ religionis mirificè confirmauit, cuius ego ſic totus ſum, quam totus veſter, atque eius, qui [a] *non pretio* redemit nos, *ſed ſanguine*. Ill^mo *Baronio* meo animam debeo, cui hoc vnum allaboro, gratitudinem meam aliquo argumento approbem. Facite & vos quæſo, videat optimus Cardinalis, non immemorem planè aut degenerem ſe clientem adoptaſſe. Nomen eius perpetuus mihi ad virtutem ſtimulus eſt, tantus, quantæ ad connitendum animi corporiſq; vires. Neq; mihi *propterea bellus videor*, vt [b] *S. Hieronymus* cuidam illudit, *quia fauſto vocor nomine*: ſed ideò me fauſto vocatum nomine exiſtimo, vt bellus eſſe connitar. Sed ad te redeo mi

[a] 1. Pet. 1. 18. 19.

[b] *Hieron. Epiſt. 100. ad Bonaſum.*

*Bozi*, quem sincerè diligo & admiror, nec minus eruditissimos Collegas tuos, *Flaminium*, *Gallonium*, *Petrum*, & quem neutiquam vltimo loco nominatum oportuit, *Franciscum* fratrem tuum, quem cum cæteris amantissimè à me saluere volo.

De itineris mei successu, certè illo, laus superis, felicissimo, iam iam ad Mœcenates scribo. Cognoscite. Vnum est quod te scire refert, opellam meam *Illmo* nunc *Archiepiscopo* nostro addictam, ideoque *Bambergensibus* gratias agendas. Noui apud nos nihil est, nisi quod *Anglo Caluinianum* quendam in me, (me vero, imo magnos illos signiferos nostros, *Baronium*, *Bellarminum*, *Stapletonum*, &c) insurgere audio. Quid hominis sit, scire videor. Euomuit iam aliâs horrendas satis in Ecclesiam, vt *Idololatriæ* scilicet deditam, blasphemias, atque vnus ex illis est, qui in Ecclesia nati & educati, *cucul*orũ tamen more eã tractant, atq; instar *mulorum* vberibus matris recalcitrant. *Wilhelmus* vester *Perseus* ad vnguem nouit hominem, finite eum suis coloribus depingat. Mihi lectionis aliquantum habere, malitiæ verò & calumniæ serpentem intimo pectore alere videtur. Sed qualis quantusque sit, farragines eius plenius breui testabuntur. Tu Vale mi *Bozi* atque incudem *Annalium* tuorum indefessus tunde. Mogunt. Prid. Idus Decemb. M. DCII.

Epi-

## EPISTOLA XIX.

## NICOLAVS SERARIVS SOcietat. Iesu Presbyter

## DANIELI TOSSANO ACAD. Heidelb. Professori

*Debuerat hæc Epistola secundũ huius libri locum tenere. Sed ex quodam incommodo huc ad finem reiecta est.*

DE alienis abs te resignatis litteris tria mihi, *D. Tossane*, narras. Primum te illas accepisse solumque legisse: deinde, cum *D. Iusti Baronij* manum ignorares; illas *D. Pareo* monstrasse: postridie tandem totum Magistratui fasciculum obtulisse. Ac in primo quidem posset aliquis tibi, apertas fuisse astruenti, dicere: Heus mi *D. Tossane*, vt hoc probas? Ecce alienas fateris te litteras accepisse: clam, præsente conscioque nullo, primum legisse. Quomodo abs te non apertas fuisse doces? Quomodo veri videatur simile, ad te ignotum ab ignoto, vt ais, illas missas? cur ad ipsum non potius Magistratum recta ille misisset? Quantus hic dolis & iniurijs campus? Alienas quilibet intercipere litteras poterit, easque pro animi sui lubitu resignare ac legere: postea verò causari, à quodã quẽ nesciret sibi aut datas aut missas. Tota tua hæc defensio ex eo vno pendet, vt tibi soli illud absq; teste, absq; veri villa similitudine aut argumento asseueranti credatur. An [a] *Pythagoram* te aut *Aristidem* vis existi-

*a Hũ enim iniuratis creditum. Cic. 3. offic. Et orat. pro Sextio. Plutarch in Aristid.*

existimemus? At multi ne iurato quidem credant. Ego tamen summo tecum iure nõ agam. Contentionis nolo funiculum trahere. Patiar mihi persuaderi, hominẽ quẽdam ignotum, ex ignotis *Lotharingiæ Burgundinumq;* finibus, ad te ignotũ, ob ignotam causam, ex ignota occasione (hæc omnia significas) illas iam solutas & reclusas destinasse litteras: in alio etiam (quia hoc vnum sanctè affirmas) earundem calumniosè miniatarũ, & ad *Reu*um *Nostrum* missarum culpã hærere tibi assentiar. Sed quia è [b] *Tobia* negans nuper præceptum attuli, nõ possum, quin (scis autem inter ista quantum discriminis) de aiente, quod apud *S. Matthæum* est, paululum colloquar. [c] *Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Abs te petieram, litterarum mihi vel R. diss° & Illustviss° Cardinali *Baronio* exemplar mitti. Cum id primus accepisses, idemque alijs tradidisses, nonne id mihi te præstare consentaneum fuit, vt mea saltem causa repeteres? Nonne ab alio tantulum tibi vel pro iniuria compensationis, vel exigui certè officij concedi velles? Et cum in alios aliquos totam illam odiosissimę miniationis culpam cõtulisses, nonne hoc vel amicis vel maioribus tuis iam debebas, vt tanta data occasione, tanta pœne flagitante causa, eos paululum excusa-

b *Tob. 4. 16.*

c *Matth 7. 12.*

res:

res: aliquam, vel aliquo duntaxat modo probabilem calumniarum illarum ratione obtenderes? Quid? summo doctissimoque *Baronio*, grauissime à vobis læso, nonne vel vno saltem verbulo facere aliquid satis æquissimum fuit: sed quibus sola saluti fides, ijs vt video parum præcepta curæ. Hisce quæ causa postulabat omnia, omninò præteritis in alia quælibet incursas, & quidem adeò temerè ac impotenter, vt licet [d] *altum premas corde dolorem*, iramq; admodum dissimules, te tamen appareat mordere ac nocere, nisi esses edentulus, & *vana sine viribus ira*; optare. Me petis, Societatem nostrã admordes, Pontifici maledicis, in *D. Iustũ Baronium* arietas, & quia contra ipsius rationis ordinem agis hæc, adeò in Epistola tua ordo nullus est, vt vix cum cœpisses, iam vel æstu, vel œstro abreptus, in societatem digredereris, in ipsoque pœne principio scriberes: *Sed ad rem*. De omnibus verò istis tacerem, teque silentio solo vlciscerer, nisi quo tuas accepi, me dies moneret, vt aliquam te ipsum colligendi corrigendique occasionem tibi darem. Videó enim te in vitijs quibusdam non paruis, quæ quia *Prædicantibus* ferè omnibus communia sunt, minus aduertis, inueterasse; in summa temerè de alijs iudicandi & pronunciandi licentia, in fœda pessimè optima quæq; inter

[d] *Virgil. 1. Aeneid.*

pretandi consuetudine: in egregia Catholicorum dogmatum insciti: in audaci quid libet de quolibet, quem oderis, effutiendi proteruia.

Meam dicis Epistolam *verbosam*; credo, quia verborum, quæ alienarum litterarum resignationis crimen perstringerent, plus quam libenter audiret reus, habebant, cum verba essent neque rerum, neq; argumentorum inania. Qui scatent vlceribus, ea vel citissima tantum manu, vel potius omninò non tangi vellent. Iustum circumuenire cur velint impij, hanc in *Sapientia* causam dant. [e] *Quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Plenam addis *contradictionibus*, an quod tibi, an quod mihi contradico? fortè istud vis. Nam cum in Epistolæ vestibulo professum me breuitatem dicas, longiculus tibi videor. At *breuiter toto de argumẽto agere velle me*, non dixi: sed *paucis exponere*, cur ego ad te ignotus, ad *Caluinianum* Catholicus, ad Superintendentem *Iesuita* scriberem. Et verò quod promisi, reapse præstiti. Nam causam ilico subiunxi. Eandem Epistolam ais *habere nihil, præter plenas ἀμάξας scopticarum vellicationum, & inanem ostentationem multiplicis lectionis.* Quid habeat illa, qui legit, videt, omninoque volui alie-

[e] Sap. 2. 12.

narum

narum litterarum interceptores, resignatores, & criminatores vellicare, vel ipsum potius id faciendi facinus euellere. Non hoc oportet? Non faciendi causa mihi iustissima? Vobis licet, quod vultis facere, & quod non vultis, nemini licet dicere? [f] *Qui* ait S. Augustinus *modo tonare volunt, postea fulminantur.* De ostentatione verò [g] *tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* At *multiplex* in Epistola *lectio est.* Multò certè quam vellent alij te doctiores, minor. Sed sit, quia ita tibi videtur; aliqua: num quidquid eruditum, variaque doctrina tinctum, id ab ostentatione? Cordium certè coniector, & iudex nimium quàm audax & ineptus es. Neque te, tantum in Academia illa Regem, & apud non illiteratos homines, loqui ac statuere decebat, vnde à bonorum auctorum lectione abstereretur iuuentus, ne si fortassis legeret, ijsque vteretur, ostentationis abs te damnaretur. [h] *Eliabum* illum mihi refers, qui simplicis candidique pectoris *Dauidi* opprobrabat: *Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui:* Aut vero illos potius, qui innocentiæ ipsi se quasi nimium ostentanti dicebant; [i] *Quem teipsum facis?* Apud [k] *Quintilianum* Iuuenis quidam erga patrem patriamque pius, *Tuli* ait *(Deos testor) in aciem, tuli non virium iactationem, non gloriæ cupiditatem, sed vt patriæ præstaret ali-*

f In Psal. 90 exp. 1.

g Rom. 14. 4.

h 1. Reg. 17. 28.

i Ioan. 8. 53

k In Declamat.

*quid vtilitas mei, vt hunc mihi deploratum spiritum, hoc destinatum damnatumq; corpus publicarum vtilitatum vsus absumeret.* Ego verò in omne contra hæreticos, criminatores, veritatisq; hostes certamen affero, non ingenij aut lectionis, quam perexiguam sentio, iactationem: non inanis propriæq; alicuius gloriolæ desiderium, sed vt innocentiæ ac veritati seruiant, quæ in me sunt omnia: vt si quid mihi audiendo & legendo doctrinæ collectum, id etsi perexile, totum in Dei gloriam, Ecclesiæque defensionem & ornamentum conferatur. Ille, ille mihi semper propositus, qui licet vt ostentabundus à Iudæis accusaretur, verè tamen clamabat: [l] *Ego non quæro gloriã meã, & si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Illam tantum in me ostentationem cupio, quam & cupit S. Paulus dicens. [m] *Cupimus vnumquẽque vestrum eandem ostentare solicitudinem ad expletionem spei vsq; in finem.* E falso tamen improboque tuo isto iudicio, vt à re, qua cares in risum, per quem euadas, soluemur, exclamas, *Vah!* Tres inscriptura sunt, qui spirituosa hac exclamatione vtuntur. Est in [n] *Iob* libro pugnax & sternax equus: est apud [o] *Isaiam*, è Deorum suorum ligno se calfaciens idololatra: est apud [p] *Euangelistas*, Iudęorũ, qui crucifixum Dominum irridebant, multitudo. Istos videlicet

l Ioan. 8. 50. & 54.

m Hebr. 6. 11.

n Iob 39. 28.

o Isai. 44 16.

p Matth. 27 40. Marc. 15. 29

vetulus

vetulus sannio imitari iam voluisti, aut potius horum extremos tantum. Visitatum enim vobis, vt *Iudæ* ac *Iudæorum* facta verbaque imitemini libenter. E vestris non ita pridem cum essent hic aliqui, & nostra in æde, impensarum in Dei cultum aliquid vidissent, illico ijs in ore fuit Iudæ illud, [q] *vt quid perditio hæc?* & tu mihi modo cum Iudæorum *vah* prodis? Adeo in vestris scholarum templorumque suggestis vos sannis & irrisionibus assuefacitis, vt in rebus etiam serijs nugari, aliosq; ludere præclarum putetis. Vbi nos in Psalmo primo, cum Septuaginta priscis interpretibus legimus, [r] *Beatum, qui in Cathedra pestilentiæ non sedit:* Vos in Latinis, Germanicis, Gallicisq; psalmis vestris libenter canitis, *qui in derisorum consessu non sedit.* Neq; si nouitatis vestrum abesset cacoëthes, reprehendo, cum & Hebræa vox ferre id possit: neque in sensu dissensio sit, sed illud hinc iam colligo, nimium diu in isto vel *pestilentiæ* vel *irrisorum Cathedra* te hactenus sedisse. [s] *Homo*, ait Ecclesiasticus, *assuetus in verbis improperij, in omnibus diebus suis non erudietur.* Et paulò ante. [t] *Indisciplinatæ loquelæ nõ assuescat os tuum. Est enim in illa verbum peccati.* Miri estis homines. Si paulò scribimus familiarius, imperitiam vocatis: si paulo accuratius, ostentationem. Vobis quid faciemus? Quo-

q Matth. 26. 8.

r Psal. 1. 1.

s Eccl. 23. 19

t Eccl. 23. 17.

modo loquemur? Apud vos verum illud Catonis; *De frumento vtrinde iram, virinde factiones tibi pares.* Et quod noster ait Salo-
[u] Prou. 29. 9. mon, [u] *vir sapiens, si cum stulto contendem, siue irascatur, siue rideat, non inuenies requiem.* Est verò quædam valde inepta & puerilis ostentatio, in sermonem, vel scriptionē, Græca vel Hebræa vocabula, sine causa, sine vlla gratia, vi aut significantia maiore, tantum vt Græculus quis aut Hebræolus videatur, ingerere. Vobis autem ea pœnè omnibus adeò familiaris & domestica est, vt si quis vos alioqui non norit, hæc internoscendi nota iam certissima bellissimaq; passim habeatur. Respice te, mi *D. Tossane.* Senex iam es; verbosam ad me non vis videri Epistolam scribere, & tamen è prauā inolitā iam cōsuetudine non potuisti, quin currus, carrucæ, & plaustra tibi cum supperent, ἁμάξας obtruderes & cum *Siloæ* aquarum meminisse velles, *Schilohe* scriberes. Non possum hic te, si liberet, meritissimo irridere, aduncoque naso tuum tibi sarcasmum regerere? *vah, quis in Præducante tantos Græcæ, Hebraicæq; linguæ thesauros reconditos fuisse vnquam putasset?* Sed sannas istas non vsurpem sanus. Sæpe in istis habet locum, quod Athenienſi Parrhesiastæ dixit apud Senecam Philippus Macedo: [x] *Multo sunt superbiores, qui ista dicunt, quàm qui impunè*
[x] Seneca lib. 3. de Ira. ca. 23.

*punè dicta audiunt.* Sed illud ex te quæro, cur adeò Hebraismi tui ostentatio præceps & immodica sit, vt ipsis etiam Domini Euangelistis te anteponas, illosque quodammodo corrigas? Istam enim *Siloæ* vocem cũ scriberent, & quidem sæpius, nunquam vt tu *Schiloham* χιλω ἁμ, sed semper, vti nos, leniter σιλωάμ dixerunt [y] *S. Lucas*, & [z] *S. Iohannes*. Nimirum illo vos delectamini plane pueriliter, qui

[a] *Chõmoda dicebat, si quando commoda vellet*
*Dicere, & insidias Arrius hinsidias.*

Et magnam ingentis cuiusdam & inauditæ sapientiæ apud imperitos famam colligitis, cum in concionibus à vobis citantur *Ieschahahu*, vel *Ieschahia*, *Iirmeiah*, *IecheZkel*, qui à nobis & simplicioribus [b] Euangelistis, sacrisq; doctoribus *Isaias*, *Ieremias*, *EZechiel* nominantur. Sic non tam ridebam, quam in cordis mei profundo ingemiscebam, cum te isthic in S. Spiritus, nouo vanoque spiritu, grandi voce identidem *Iehouach Iehouach* intonantem audirem. Quis enim Euangelistarũ, quis Apostolorum, quis veterum Patrum, Græcorum aut Latinorum, quæ in Occidentis Orientisue partibus Ecclesia, ita vnquam Deum publicè aut priuatim vocauit? O hæretica-

y *Luca 13. 4.*
z *Iohan. 9. 7. & 11.*
a *Catull. Epig. 82.*
b *Matth. 3. 3. & 4. 14. & 8. 17. & 12. 17. & 13. 14. Marc. 1. 2. & 7. 6. Luc. 3 4. & 4. 17. Iohan. 1. 23. & 12. 39. Act. 8. 30. & 28. 25. Rom. 9. 27. & 10 16. 65. & 15. 12.*

ticarum vanitatũ bullas! ô iactantias? Non legistis de huiusce modi rebus quid Hebraicæ, Græcæq; linguæ scientissimi iam ante tot secula scripserunt, & monuerunt: *Iosephus, Origenes*, D. *Hieronymus*! sed profecto vt ipsas hæreses: ita & [c] *profanas istas vocum nouitates*, quas detestatur Apostolus: vna gignit & procudit superbia, inanisque apud rude vulgus ostentatio, prout à veritate ipsa coactus sub suarum in Priorem ad Timotheum Epistolam Annotationum finem contra se, suosq; omnes agnoscit [d] *Beza*: ob eundem Iehouam à [e] *Genebrardo* in Psalmos flagro pulsatus iustissimo.

[c] 1 Timoth. 6. 20.

[d] In 1. Tim. 6.

[e] Genib in Princ. ad Lect.

Sed quos Societati nostræ dentes infigere connitaris videamus. *Eius*, ais, *fastum parum æquo ferre Prædicatores*. Et hic rursum te in illorum intimas animas penetras, eosque fastum nostrum iniq; ferre iniquus Iudex iudicas. Vnde enim hoc tibi? An quia illos nobiscum disputare audis? quasi citra mutuum contemptum, intra eandem Ecclesiam, cum charitate, acres & disputatores & veritatis indagatores nulli esse queant. Si aut *contra Iulianum*, aut *Confessionum S. Augustini* libros legisses, aliud vtiq; sentires. Certè aliter vobiscum, aliter cum Catholicis disputationẽ nobis instituendam, ita idẽ summus in ista palæstra vir alibi breuiter docuit; *cum istis indoctis blasphematoribus*

*ribus sacrarum litterarum* (id est cum hæreticis) *non ea rationum subtilitate agendum est, qua ista quærenda sunt, & inter pacificos Dei filios disputanda.* Pergis: *consectari nostros homines verborum phaleras & ampullas.* Iam supra respondi: & vobis hoc in oculis sudes, quod nihil in vobis aut eloquentiæ aut doctrinæ admiremur: neq; ij simus, quorum, vti velletis, inscitiam & barbariem, vestro cum [f] *Frischlino*, ridere possitis. Addis, *eosdem, dum in thesi versantur, esse disertos: eum ad hypothesin veniendum, fluctuantes atque inermes* At cum meas abs te litteras violatas questus sum, cum graue hoc scelus ostendi, noñe hypothesis erat? Et tamen supra me nequaquam inermem fatebare, quin ad animi vsque tui dolorem, & inuidiam non paruam, multiplici lectione, quod mihi tamen haud sumo, instructum & obarmatum. Cum tu contra rerum omnium adeò nudus & expers sis, vt nisi à me S. *Augustini* sententiolam mutuatus esses, ne stipulæ quidem aliquid in pharetra tua fuisset. Nos autem *Tobia peculiariter delectari nuperrimè Ratisbona* cognouisti. Eg *Tridentino Concilio*, è [h] *Bellarmino*, ex aliis cognoscere, si paulò esses diligentior, citius potuisti, & sane delectamur. De hoc enim libro nobis diuinit° dato, & per Ecclesiam Christi sponsam [i] *veritatis columnam*, omnium, qui

[f] *In Prisc. Vapul.*

[g] *Sess. 4.* [h] *lib. 1. de Verb. Dei cap. 11.*

[i] *1. Tim. 3. 15.*

qui salutis æternæ cupidi, matrem & magistram, proposito, cum propheta canit nostrum quilibet. [k] *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis, & cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.* Nam quidni sic agamus? An quia magicum vester dicit [l] *Iunius*, & tanquam è Tripode Apollo, modo *ab audaculis Hebræa exempla scripta* spõdet, modo *eius consarcinatorem rhapsodum Iudæum* censet? Laudauit hæc quidem nuper tanquam magna & admiranda oracula, in suo de principiis libro *Sibrandus* vester *Lubbertus*: sed nobis *Apollo* hic [m] *Apollyon* est, sine ratione, sine argumento, quod ipsi libet fingens, audacterq; mentiens, prout monstrarem, nisi quidquid ad veritatem facit, tibi esset verbosius. Maximè cum Lacon tantus sis, vt cum posses totum nobis *Arnaldum* obiicere, nolueris. Lepidè. Quæstio est de literis ad te nihil spectantibus: abs te tamen acceptis & resolutis: & tu *Arnaldum* non vis obiicere? Si obiiceres, quam quæso ad Hypothesin istam aptè miserum illum traheres? imò quàm aptè illius iam vel minimam iniicis mentionem? Mirum te nolle etiam obiicere *Lyserum, Lermæum, Lapidem* vestrũ, aut verò quicquid in *Vatinium* dixit *Cicero*, in *Ibin Ouidius*. Tantidem omnia. Tibi vero non possem repo-

k *Psal.* 118. 14. 54.

l *Annot. in Tobiam.*

m *in Apocal.* 9. 11.

nere

nere doctissimum[n] *Steuartium*, litteratissimum *Gretserum*, omnes innocentiæ, modestiæ ac veritatis, qui vbiq; sunt; patronos? Obscurè demum *de struentibus vitæ Regum & Reginarum insidias* loqueris, quos Caluinianos intelligeret, quisquis *Gallia* historias & coniurationes, aut verò nobilissimæ hodierni *Scotorum* Regis matris tristissimum funus legit. Alios tamen, si te benè aspicio, respicis & sanè forent illi ter quaterq; miseri, si certius, constantius, & verius calumnias istas non repellerent, quam tu epistolarum non tuarum effractionis crimen.

[n] *Apol. pro Societat.*

Ad Pontificem dilaberis, à quo *de criminibus omnibus dispensari soleat*. Magna in *Prædicantibus* esse solet Theologicarum rerum inscitia: magna maledicendi petulantia. Tu verò quia inter illos, inter vrticas spina, excellis, videris dare operam, ne in paucis verbis te indoctior & maledicētior quilquam sit. In peccatorum minimo dispensare Pontificem vllum posse num dicimus? Nescis, nescis tantus[o] *Magister in Israel*, quid *absolutionem* inter & *dispensationem* intersit, & istiusmodi tamē maledicta, in scholis & tēplis, axiomata quasi certissima ore plusquā sesquipedali venditatis. Quod verò vel dispensandi, vt vocas, vel absoluendi vobis potestatem non arrogatis, laudarem, nisi

[o] *Iohan 3. 10.*

hoc

hoc ipsum arrogantissimè diceres. Tesiquidem, tuosq; Pontifici eo ipso præfers, eumq; videri vis id sibi ius arroganter vindicasse. At quemadmodum de Apostolo [p] in eo, quo pœnitentiam tuetur libro Sanctus dixit Ambrosius, *vindicauit acceptum non vsurpauit indebitum.* Vestrum enim omnium ingratiis omnibus in S. Petro ei dictum; [q] *Tibi dabo claues regni cælorum, & quæcunq; ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cœlis.* Est tamen, ne bonorum vestrorum quidquam dissimulem, aliqua vestra laus, quod eandem vobis potestatem non arrogetis. Nam facitis quod vos decet. Absq; siquidē omni dispensatione, imò generatim & propriè vt dicam, *absq; omni baptismo, pœnitentia, Sacramento, Peccatorum omnium veniam, diuinam gratiam, cœlestem hæreditatem vobis parentum vestrorum semen*, vestraque tandem ad omnia omnipotens & omnifex sola fides *tribuit.* Deinde vt verissimè libro, quem paulo ante attigi, eodem idem S. scripsit Ambrosius; [r] *Non habent Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia diuisione discerpunt.* Et rursum; *Certum est*, ait *Ecclesiæ vtrumq; istud* (soluere ac ligare) *licere: hæresi vtrumq; non licere. Ius enim hoc solis permissum sacerdotibus est. Rectè igitur*

[p] S. Amb. lib. 1. de pœnit. cap. 6.

[q] Matth. 16. 18.

[r] Amb. lib. 1. de Pœnit. cap. 2.

hoc

*hoc Ecclesia vindicat, quæ veros sacerdotes habet: hæresis vindicare non potest, quæ sacerdotes veros non habet. Non vindicando autem, ipsa de se pronunciat, quod cum sacerdotes non habeat, ius sibi vindicare non debeat sacerdotale.* Atque hæc in laudem vestram S. Pater. Quam ex eo etiam quod narras, *vos in iis, qui ad vos à nobis transeunt, admittendis tam faciles non esse*; augerem libenter, si verum id esset. Qui enim (iam præsertim cum mustum vestrum deferbuit, palamque factum apparet cuiusmodi vitis vestra botros, & qualé, vt[s] ille vocabat, *terræ sanguinem* proferat) ad vos à nobis transit, nisi perpauci quidam aut excucullati monachi & monachæ, aut alii nescio qui, quos carnis libido, animi vertigo, scelerumq; variorum infamia eijcit? Et quæ vestra in hisce admittendis seueritas, nisi vt Hymenæas quàm citissimè faces apparent, nullis ad scelerum expiationem lachrymis, nullo gemitu, nullo ieiunio, nullis dignis pœnitentiæ fructibus opus esse, verbo reque ipsa profiteantur? Egregiam vero laudem. Sed *diues est Papa.* Est. Et vos libentissimi esse velletis: sed vel non estis, vel non tam, quam velletis. Sane in re vestra quoquo modo augenda studii & operę nihil prætermittitis: & auri argentique, facti & infecti, æquo plus corraserunt *Schmidelinus*, *Kemnicius*, alii: qui à

*[s] Androgydes apud Plin. lib. 1. cap. 5.*

*Neostadiensi Anticoncordia* vestra, *Theologi* eam ob causam *aurei* nūcupantur.[t] *Quia* (inquit illa) *Illustrissimis Principibus fumos vendunt, neque ad salutem Ecclesiæ, sed ad suas priuatas cupiditates perficiendas tendunt.* In primo noui Euangelii vestri feruore abiit è summis & præcipuis Euangelistis in *Daniam* vnus, *Joh. Bugenhagius Pomeranus.* Sparsit ille quantum potuit, iucundi & tam ipsa nouitate quam variarum rerum carmi gratissimarum licentia plausibilis dogmatis semen. Sed ita, vt sibi ipsi messim faceret simul auream. Nam Wittebergam cum reuerteretur;

*Vix è conspectu Danicæ telluris in altum*
*Vela dabat lætus.*

Et mirè sibi gaudebat, suoque marsupio gratulabatur dicens: [v] *Habeas meum, ô Dania Euangelium: ego aurum tuum habeo.* Illi omnes tamen conatu adhuc votoque suo longè minus conflarunt. Hinc illæ lachrymæ, illæ contra Papæ opulentiam commurmurationes, nam

[x] *Inuidus alterius rebus macrescit opimis.*

Habet diuitias Pontifex, quia scilicet vates non vanus *Isaias*, qui præcinuit, [y] *Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ. Vultu in terra demisso adorabunt te: & puluerem pedum tuorum lingent.* Verum *non est Ecclesiæ caput idem Pontifex, quia Dominus*

IESVS

t *Admon. de lib. Concord. cap. 12. p. 441 451. 453.*

v *Surius in Comment. An. 1532.*

x *Horat. li. 1. Epist. 2. ad Loll.*

y *Isai 49. 23.*

IESVS *vnicus seruator, & caput corporis sui.* Sed ô bone, nonne multi in scripturis sanctis[z] *Seruatores & Saluatores* vocantur? *Lege Iudicum* librum, [a] *Sanctiq; Iacobi* Epistolæ, quæ [b] Luthero quidem *straminea*, sed vobis Caluinianis & rectè, *Apostolica*, extremum. Quemadmodum ergo hi aliquo, quamuis longè inferiore, quam Dominus noster IESVS modo *Saluatores* appellantur: ita & *Caput*, Pōtifex, Rex & tot in bello *capitanei*. Quid *Angliæ Regina?* Nonne plurimorum vestrorum calculo, *Ecclesiæ Anglicanæ caput?* Audio & quidem ab Nobili & hæretico Anglo, aliquātulum aliquando tergiuersatum *Wittakerum* vestrum: sed magno suo incōmodo, quod tamen, si cum Catholicis Catholicè dixisset, æterna illi afferre commoda potuisset.

z *Iudic 3. 9.*

a *Iacob. 5. 20.*

b *Luth. præfat. in Epist. S. Iacob.*

De *D. Iusto Baronio* expectas? verum tua is mendacia & calumnias tibi [c] *suis ad te litteris* iam ostendit. Nam cum tuam acciperem Apologeticam Epistolam, me fortè fortuna in valetudinario inualetudo quædam tenebat. Ei legendam misi. Legit statim, & confutauit. Erat autem *dies conuersionis S. Pauli*, qui fecit, vt in *Societatem Iesu, in quā in baptismo palam* vt ais, *transieras*, & è qua per hæresin postea discessisti, reditum tibi vera cum animi tui conuersione optarem. Non est sponsi socius, qui sponsam odit, nō

c *vide Sup. lib. 3. Epist.*

est in Christi societate, qui se ab eius Ecclesia distraxit. [d] *Si dixerimus*, ait S. Ioannes, *quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus*. Duo tamen in ista, quam tibi arrogas, societate mihi dubia. Vnum quod à socijs etiam te tuis dissocies. Illi, apud [e] Apostolum, non *in societatem* IESV Christianos omnes vocatos volunt, sed vetere nostro contempto interprete, *in communionem*. Ita enim *Caluinus, Beza, Piscator, Tremellius, Iuniusq;* vester. Alterum, quod in eam societatem te in baptismo transijsse dicas. Hoc enim, etsi cum Catholicis verum statuo, vestræ tamen hæreseos principijs parum congruit. Qui enim alio transit, ibi antequam transiret, non erat. Sed ex vestro dogmate, ante baptismum in Christi societate iam eras. Qui enim è Christianorum, vel Christiani vnius semine nascuntur, ij etiam, ante quam per Baptisma regenerentur, vestra *imputatiua* sanctitate sancti sunt, æternæque hæreditatis participes. Dices; aduerbium *palam*, adeò te apposuisse. Agnosco. Neq; particularum istiusmodi vis parua, sed etiam priusquam baptismo initiarere, palam in Christi fœdere & societate iam (e vestra quidem sententia) eras. Nam nonne pater, materque tua palam Christiani erant? Nonne palàm constabat omnib⁹, è semine Christiano natum te? Qui ante baptismum igitur in Christo palam eras, in

d 1. Iohan. 1. 6.

e 1. Cor. 1. 9.

illiùs societatem per baptismum palã haud transijsti, nisi è *Turcis* forte, *Gentilibus* aut *Iudeis* prodijsti. Huius tamen dogmatis coruiq; vestri malum si nescis; ouum extitit ille, propter quem tibi me notum scribis, hæreticus *Puccius Filidinus*. Conuertere igitur, mi *D. Tossane*, conuertere ad illam, quam turpiter deseruisti, licenterq; hactenus docendo & concionando, quantum in te fuit, laceraſti Christianam Catholicamque societatem. Tua iam deuexa ætas. Ni ocyssimè redeas, in æternum à Christi IESV beatorumq; omnium cætu diuulsus & exturbatus, illis ob animi tui duritiem & pertinaciam miser consociabere, quibus sanctæ illius societatis auctor, dux & caput dicet: [f] *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Quod in tuarum extremo addebas de *humanitate*, quàm modestè pœneque necessario, vt ab ista in alienas sarcinas inhumanitate auocareris, proposueram, hoc vnum inter nos certamen semper esse opto, vt quemadmodum noster monet Apostolus, [g] *consideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum.* Vale, sed si sapis, animo magis quàm corpore. Mogunt. Calend. Februar. M.DCII.

[f] *Matth. 25. 41.*

[g] *Heb. 10. 24*

*LIBRI TERTII EPISTOLARVM FINIS.*

IV-

# IVSTI BARONII VETERACASTRENSIS EPISTOLARVM SACRARVM LIBER IV.

## EPISTOLA I.

### CLEMENS PAPA VIII. IVSTO BARONIO VETERAcanstrensi.

*Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

LEGIMVS non mediocri cum voluptate litteras tuas, superiori Decembri mense ad nos *Moguntia* datas, quibus te salvum & incolumem ad tuos ex vrbe peruenisse scribis. [a] *Benedictus Deus*, [b] *dives in misericordia*, qui [c] Angelum suum, fidelem comitem tecum misit, qui te felici itinere huc duxit, & illuc reduxit. Illud autem gaudemus, quod te a-

[a] *Ephes 1.3.*
[b] *Eph. 2.4.*
[c] *Tobiæ 5. 15.*

te adeò lætari animaduertimus, quod *Romam* videris, arcem fidei, domicilium religionis, ciuitatem Sanctam, quam beatissimi Apostolorum Principes, *Petrus* & *Paulus* suo glorioso martyrio Deo consecrarũt, & [d] cui *totam doctrinam cum sanguine* tradiderunt, quorum tu sacra limina piè veneratus es, illius gloriam agnoscens, qui [e] *mirabilis est in Sãctis suis*, & qui ad virtutem & victoriã crucis indicandam, ad sepulchra piscatorum, & pellionum, Regum coronas feliciter & magno eorum bono pstrauit. Delectati sumus hac tua lętitia, & quod iure optimo Deo gratias agis, quod eius dono has antiquissimas, & religiosissimas Basilicas obieris, & deuotè visitaueris, in quibus tot millia fortissimorum Christi Martyrum requiescuut, qui fidei Catholicæ veritatem, quam acceperant, vitæ & sanguinis sui profusione comprobatam, nobis tradiderunt. Propterea autem delectamur,

[d] *Tertull. de Præscrip. cap. 36.*

[e] *Psal. 67. 36.*

quia ex his, quę ſcribis, perſpicimus, te vberem fructum ex Romana peregrinatione cepiſſe, & ſpiritum pietatis per Dei gratiam ex his ſacris locis copioſius hauſiſſe, qui piè & prudenter non tã vrbis magnificentiã, & antiquitatis memoriãquã Dei prouidentiã & potentiã admiratus es, qui per Sanctam crucem ſuam mundũ redemit, & vicit, & [f] *per infirma quæ elegit, fortia proſtrauit, & confudit.* Nam quod piè etiam commemoras, te ea recordatione gaudere, quod de manibus noſtris diuina Sacrosãctę *Euchariſtiæ* alimonia refect' ſis, & à nobis ẽt in *Lateranenſi* noſtra *Baſilica* ſalutari *Confirmationis* Sacramento, & ſignaculo fidei obſignatus fueris, nos quidem indigniſſimi [g] *diſpenſatores* ſumus *myſteriorum Dei*, ſed tamen gaudium tuum gaudemus, propter ſalutem animæ tuę, qui vna es ex ouibus noſtris, nobis à Deo cõmiſſis, & quia in te [h] *diuitias bonitatis Dei* admiramur, qui te [i] *ex tenebris eduxit*

[f] 1. Cor. 1. 27.

[g] 1. Cor. 4. 1.

[h] Rom. 2. 4.

[i] 1. Pet. 2. 9.

*duxit in admirabile lumen suum*, sic age fili, conserua domum Dei, & ne erubescas crucem Christi, qua in fronte per manus nostras consignatus & confirmatus es, sed narra omnibus, [k] *quanta fecerit tibi Deus, qui potens est.* [k] Luc. 1. 49.

At illud quidem nihil necesse erat te scribere, aut nobis gratias agere, quod te libenter viderimus, & aliquam amoris nostri significationé erga te & tuos adhibuerimus, certè valde ex animo id egimus, quia te amamus, & gerimus in visceribus Iesu Christi, vna cum liberis tuis, quos à te Catholicè & piè educari, vt scribis, pergratum nobis est, illoſq; paterne benedicimus. Sed illud periucundum, quod narras, te à Venerabili fratre nostro *Archiepiscopo & Electore Moguntino* inter consiliarios & Assessores Consistorii sui tam benignè allectum & adnumeratum esse, quo nomine insignem Antistitem plurimum in Domino laudamus, eiusq; erga te beneficientiam nobis

gratissimam fuisse & esse testamur. Ne dubites fili,[l] *Dominus solicitus est tui*, nec[m] *iustum* seruum suum *derelinquet*. Ipsum oramus, vt te sua cœlesti gratia semper tueatur, & nos tibi Apostolicam nostram benedictionẽ amanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXIII. Ianuar. M. DCIII. Pontificatus nostri Anno vndecimo.

[l] Psal. 39. 18.
[m] Psal. 36. 25.

*Siluius Antonianus Card.*

---

EPISTOLA II.

CINTHIVS ALDOBRANDINUS S. R. E. Cardinalis

*IVSTO BARONIO VETERA-castrensi S.*

Ornatissime Domine.

GRATVLOR te ad tuos rediisse incolumem, quod ex tuis litteris gratum fuit cognoscere. Lætum etiam illud, quod te adeò

adeò humaniter exceptum narras primum ab *Episcopo Herbipolensi*, deinde ab ipso *Archiepiscopo & Electore Moguntino*, quibus profecto me hoc nomine plurimum debere profiteor. Quanquam id quod tu commendationi meæ tribuis, ego potius eorum humanitati, tuisque meritis imputandum censeo. Tibi quidem prodesse volui, & per eos nonnihil potuisse gaudeo. Vtinam & à me ipso maiora, tibique ac tuis vtiliora quandoque præstari possent, certatem vtique cum iis omnibus, quibus dignitas tua maximè curæ, nec in ea ornanda á quoquam superarer. Accipies vnà cum his *Apostolicum Breue*, quale scilicet, & tu optas, & pietas tua meretur. Vale & nos mutuo amare pergito. Romæ die XXV. Ianuar. M. DCIII.

---

## Epistola III.

### OCTAVIVS PARAVICINVS S. R. E. Cardinalis IVSTO BARONIO VETERA-castrensi S.

*Magnifice & Clarissime Vir.*

PERLEGI cum voluptate litteras, quas XII. Decemb. ad me dedisti, quibus itineris tui ordinem, & acta denique reditum, &

& Spartam isthic assignatam complexus es. Tibi porro gratulor, mihiq; gaudeo, quod omnia Deo fauente, ex animi sententia cesserint, ipseque videris fructum aliquem nostri in te amoris, maximè penes laudatissimos Præsules *Moguntinum*, ac *Herbipolensem*, ad quos scripseramus, quod quidem, vt magis etiam indies experiaris, curabimus libentissimè officiis quibuscunque. Nouimus etenim quantum pietati ac virtuti tuæ insigni debeatur. Nunc denique felicia tibi tuisque omnia in perpetuum precamur à bonorum omnium auctore Deo, Romæ. die XXV. Ianuar. M.DCIII.

---

## EPISTOLA IV.

BERNHARDINVS PAVLINVS S.D.N. CLEMENTIS VIII. Pontif. Max. Datarius

*IVSTO BARONIO VETERacastrensi S.*

LEGI libenter litteras tuas. Ita enim amanter scriptæ sunt, vt tuum omnem erga me amorem, quo nihil mihi potest esse carius, effundere videantur. De filio autem tuo, si eandem istam tuam in me animi beneuolentiam respexeris, non esse, cur mihi gratias agas, reperies. Omnino hoc velim pro certò habeas, me quidquid illius, & tui

& tui etiam ipsius iuuandi causa efficere potero, id omni tempore promptè ita effecturum, vt te etiam non minimum à me diligi intelligas. Benè vale. Deus verò te suis magis magisque indies augere benedictionibus dignetur. Romæ die 3. Martij. M. DCIII.

---

## EPISTOLA V.

### ILL^mo ET REV^mo D. CÆSARI BARONIO Sorano S.R.E. Cardinali

### *IVSTVS BARONIVS VETÈracastrensis S.*

*Ill^me & Reu^me D^ne.*

ACCEPI facultatem *S. Inquisitionis* Romanæ, tua mihi opera impetratam, pergratam sanè illam mihi, atque antiquissimis exemplis, si de ratione taceam, corroboratam. Ita enim [a] *Plato* palam in Legibus suis: *Poëta* inquit, *praeter ciuitatis leges & iura, item honesta & bona ne quid componito, & quod composuerit, ne cui priuatorum ante ostendere fas esto, quàm iudicibus super hac re constitutis legum custodibus ostensa ea approbataq;.* Ita [b] *Valerius* de *Numæ* libris: *Eos quia aliqua ex parte ad dissoluendam religionem pertinere videbantur, L. Petilius Praetor Vrb.*

[a] *Lib 7. de legib.*

[b] *Val. Max. lib. 1. cap. 1.*

*Vrb. ex authoritate Senatus per victimarios ignefacto, in conspectu populi cremauit.* Ita denique[c] *Laertius* (quæ singula etiam[d] *Lipsius* noster obseruauit) de *Protagora: Libros eius* Athenienses *in foro combusserunt, per præconem eos à singulis qui habebant, colligentes.* Quamobrem quod in hoc Sanctum Ecclesiæ institutum tam mordaciter, vt solet, [e] hæretici inuehuntur, insaniunt, nec aduertunt illud Apostoli:[f] *Profana & inaniloquia deuita. Multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt Cancer serpit.* Et illud alterum:[g] *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Nimirum hæc est illa[h] *amara colocynthis*, hæc[i] *mors in olla*, quam filij Prophetarum gustare non potuerunt. Cæterum illud quod facultati meæ conditionis loco intextum reperio, de mittendis semper nouorum librorum fœtibus in vrbem, non satis assequor. Aut enim Italico more scriptum est, aut de grandibus solum voluminibus, quæ posteritatis memoriam expectant, accipiendum. Nam in subitis & extemporaneis scriptionibus nostris, quæ vt orbes ac patinæ in oblatrantes intempestiuè canes, ita illæ in subitò incursantes hæreticos iaciuntur, nescio vtrũ cautelæ tantum aut curæ requirendum sit: cum

c *Lib. 9. in vita Protager.*
d *Libr. aduers. Dialogist.*
e *Franc. Iunius præfa. indicis expurgat.*
f *2. Tim. 2. 17*
g *Tit. 3. 10.*
h *Galen. li. 6. simplic. medicam.*
i *4. Reg. 4. 40.*

cum & hic diligentiæ nihil ab ordinarijs censoribus prætermittatur: & mea illa παρώσματα (de meis enim loquor) nihil sint aliud, quàm [k] *Hemeroby Hypanici*, aut [l] *herbulæ solstitiales*. Sed tamen quia [m] *obediẽtiam meliorem* scio *victima*, & in dubijs securiora præferenda sunt, libellum Elenchticum quem iam ab reditu in *Hunnium Pseudoiubilæi Wittebergensis* promulgatorem adornabam, abdicare potius, atque in alienum quasi nomen, in alienam familiam transdere, quàm vel minimum à præscripto superiorum exorbitare malui. Tu vale Ill^me Domine, ac me nihilominus hoc dubio solue. Mogunt. Non. April. M.DCIII.

[k] Plin. li. 11. cap. 36.
[l] Plaut. in pœnul.
[m] 1. Reg. 15. 22.

---

## EPISTOLA VI.

### ILL^mo ET REV^mo D. ROBERTO Bellarmino S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Capuano

### *IVSTVS BARONIVS VETERACastrensis S. P. D.*

*Ill^me & Reu^me D^ne.*

MIRABILEM *Præscriptionum* mearum casum! quæ tam longinquis oris vagatæ, tam incertis authoribus ad te delatę, nullum

nullum tamen neque erroris comitem, neque viæ ducem nominare potuerunt. Suspicari licet, haud abfuisse eum, [a] *Cuius via in mari, & semitæ in aquis multis, cuius vestigia non cognoscuntur, qui deduxit sicut oues populum suum, in manu Moysi & Aaron.* Sed vtcunque sit, gaudeo munusculum meum tibi redditũ, qui quod tam liberaliter de opella etiam mea sperare audes, facis tu quidem singulari quodam tuo in me amore, renouasque memoriam *Magni* illius Pontificis *Gregorij*, qui aliquando laudes suas à probato quodam viro decantari audiens, ita respondisse fertur. [b] *Deum deprecare frater, vt his quæ de me prædicas, dignus efficiar, sicut & tu dignus es, cuius opinio improbari non debeat. Sed plerunq; euenit, vt ea quæ de iys, quos amamus in medium proferimus, maiora vero sint. Itaq; quamuis ista commendatione tua longè inferiorem me esse agnoscam, charitati tamen gratias ago.* Idem ego tibi *Ill^me Bellarmine*: cui vt placere quam maximè cupio, ita vitam longissimam opto.

[a] *Psal 76. 20. 21.*

[b] *Marul. li. 1. cap. 4.*

Mogunt. Non. April. M. DCIII.

Epi-

## EPISTOLA VII.

## ILLmo ET REVmo D. CINTHIO Aldobrandino, S. R. E. Cardinali.

## IVSTVS BARONIVS VETE racastrensis S.

Illme & Reume Domine.

ACCEPI paucis ab hinc diebus integrum litterarum ex vrbe fasciculum, quas inter quasi signa ducebat quartum Si Di Ni CLEMENTIS VIII. Pontificis Max. ad me miserum vermiculũ *Apostolicum*. Quod vbi ego aspexi, cohorrui prope admiratione, atq; in sacra delapsus, tacitè mecum exclamare cœpi: [a] *Vnde mihi hoc, quod* Sanctus Domini toties *venire dignatur ad me?* Equidem multi sunt haud paruo loco, quibus omnis sua felicitas præ hac felicitate mea sordet, cuperentq; minis aliquot, si liceret, vnam huiusmodi membranam redimere. Sed nec ego ex quo Regiam Domini cognoscere cœpi, vnquam meis quantacunq; cura exaratis litterulis persuadere potui, sine trepidatione sanctum illud Apostolicæ Maiestatis solium accederent, quod ipsis etiam Regibus venerationem incutere videbant. Verumtamen bone Deus, quanta ibi

[a] Luc. 1. 43.

clementia, quanta comitas, quanta humanitas hoſpitatur? Nunquam ſcribo, quin ad me reſcribat, nunquam quæro, quin reſpondeat. Cui verò? Mihi [b] *Myſorum vltimo*, & quod aiunt [c] καρῶν βαρβαροφώνων facile principi. Quæ ipſa φιλοφροσύνη facit, vt cum nunc reſpondendi vicem debeam, litteris tamen illam, ne nimiam mihi ſcribēdi licētiam arrogare, aut nouas ſemperBullas aucupari videar, reddere non audeam. Tu quæſo *Ill^me Domine*, priſtinis tuis erga me meritis hoc adijce: age coram meo nominePontifici Max. gratias, excuſa ſilentium, excuſationemq; non ab ignauiæ aut obliuionis infami crimine pete, ſed à modeſtiæ officio, quod agnoſcens S. Hieronymus, [d] *Chriſtiani* inquit, *pudoris eſt, interdum etiam apud amicos* (quanto magis apud tam ſublimes principes?) *tacere, & humilitatem ſuam magis ſilentio conſolari, quam retractando veteres* litteras *ambitionis crimen incurrere*. De tuis verò litteris in præſens quoque nil reſpondeo, quam gratas fuiſſe illas, gratam gratulationem, gratiſſimam beneuolentiæ teſtificationem, quam vt ego perpetuo obſequiorum cultu tanquam iniecta ſtrue alam atq; augeam, quàm potero enixiſſimè conabor. Vale *Ill^me Cardinalis*. Mogunt. 3. Idus April. M.DCIII.

b Cic. Orat. pro Flac.

c Homer. 2. Iliad.

d Epiſt 52. ad Pammac. pro lib. ſuis aduerſ. Iouin.

EPI-

## EPISTOLA VIII.

## ILL^mo ET REV^mo D. OCTAVIO Paratticino S.R.E. Cardinali

## *IVSTVS BARONIVS VETERA-castrensis S.*

Ill^me & Reu^me Domine.

EXPECTATISSIMAS litteras tuas magna animi voluptate vidi, maiori legi & relegi: tanto quidem maiori, quanto pluribus mensibus hoc à te beneficij genus desideraui. Cum enim quotquot è sacro illo augustoque *Purpuratorum Patrum* collegio rebus meis patronos benigne adsciuit Deus, certatim hactenus (quod ego pietati ipsorum non meritis meis tribuo) amantissimis me litteris suis salutassent, egoq; illas tanquam *Persicam* quandam *gazam* custodire, atque inter κειμήλια mea reponere solerem, quò vel vnico hoc pignore posteris meis pientissimæ matris erga me ierotinum catulum demonstrarem Indulgentiã: [a] *non sic tempestate iactatus portum nauta prospectat, non sic sitientia imbres arua desiderant, non sic curuo assidens littori anxia filium mater expectat*, vt ego tuas hactenus desideratas anxia quadam mente & suspenso o-

[a] *Hieron. Epist 41. ad Ruffin.*

culo expectaui litteras. Vix enim constare sibi numeri argumentum videbatur, nisi reliquis ordine in pluteo cõstitutis, tu quoque tuum adhuc vacuum in eodem locum expleuisses. Respondisti desiderio, scripsisti, stationé tuam occupasti, largius omnia & liberalius, quã opinio mea ferebat Quid ego contra? Exulto, triumpho, loculamenta mea repleo, non quod vnis repleri queãt, sed quod primas secundæ tertiæque consequi soleant. Quod vbi feceris *Illmæ Cardinalis*, maximo me beabis gaudio, familiæq; tui in me amoris clariora figes argumenta.

De nostris rebus Germanicis, quarum te studiosissimum perspexi, pauca sunt quæ scribam. *Ratisbonæ* Imperialia nunc Comitia agitantur. Vtinam omine eo ac successu, quem res Christianæ flagitant. De *Argentinensi Episcopatu* contrarijs inter se armis certant, *Lotharingiæ Dux* & *Brandeburgicus Elector Iunior*, cuius plerique *Protestantium* Principum partes adiutas cupiunt. Sunt qui eodem N. N. inclinare putent, sed ego pluris apud tam bellicosum Principem Dei atque Ecclesiæ causam futuram spero, quam vt contraria illi arma ferre audeat. De *Belgio* forte certiora apud vos, quam hic. *Ostenta* illa nimis diu robur suum & pertinaciam ostentat. Sed ille qui[b] *confringit capita leonum*, & *ferreas portas deijcit*, nõ dubito quin tandem

b Psal 57. 7
c Isai 45 2.
Act. 12. 10.

randem ostentatrici illi suas quoque vires ostensurus sit. De cæteris taceo, teque cum sancta vrbe, sanctissima curia Dei Opt. Max. præsidio æternum commendo. Vale. Mogunt. 3. Idus April. M.DCIII.

---

## EPISTOLA IX.

### ILLVSTRI ET REVERENDO D. Ioann. Pistorio, Doctori Theologo Clariss°, Præposito Vratislauiensi, &c.

### *IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS S.*

GRATVLERNE tibi prius, iam dudum ex faucibus orci liberato, inq; Regia Dei loco excelso & splendido inter lucidissimas Ecclesiæ faculas cõstituto, *Illustris & R^de D^nc*: an mihi gaudeam, vix demum recens è *Caluinianis* voraginibus erepto, & nunc ad contemplandam Catholicæ fidei puritatem oculos, ad propugnandã man° vtcunq; instruenti, equidem ambigo. Isthic beneficium Dei commendat temporis maturitas, illustrat nominis claritas, auget copiosissima ad omnes redundans vtilitas. Hic temporis tarditas maturitate ætatis compensatur, obscuritas nominis patronorum fulgore colluſtratur, commodorum vtilitas expectatione fulcitur. Quidni igitur gratuler

eminentissimæ dignitati tuæ, gaudeam humilitati meæ, vtrique ex morte excitatæ, ex tenebris extricatæ, ad salutis indubitatum tramitem constitutæ, Dei deniq; maximo, quod in hominem conferri potest, beneficio dotatę. Sed hanc gratulationem nostrã, vide quantus cæcorum dolor clamorq; interpellet. Illi enim distortos oculos animosque gerentes, distorta de nobis iudicia ferunt, gratiam Dei interpretantes pœnam, lumen tenebras, veritatem mendacium, salutem denique æternam sempiternum exitium. Qua in re etsi deplorandam magis quam exagitandam miserorum cæcitatem fateor, obstinata tamen illa in repudiandis defensionibus iustis surditas, insatiabilis calumniandi libido, qua in nos quasi furijs quibusdam incitati sine modo & ratione feruntur, nescio quomodo etiam patientissimum quemq; lacessit, ac stimulis agit incredibilib⁹. Vt primũ per populos tua olim audita conuersio (liceat mihi ita communi Ecclesiæ stylo loqui) mirum quãto perè incensi allophylorum animi, quam efferatæ linguæ, conuocati Senatus, calculi omnium nigerrimi proiecti! Quo tempore ego cum [a] Paulo *custodiebam secus pedes meos vestimenta lapidantium Stephanum*, nec min⁹ animo feriebam, quam illi lingua aut manu. Paulo post ad publicas illas conuitio-

[a] Act. 7. 58.

rum

rum ἀμάξας suffectus ( Cathedras magistrales dico ) nō minus acriter bacchabar & latrabam, quàm grandes illi molossi, quorum rudimentis ego imbutus fueram, vt quod ab [b] *Augustino* alicubi scriptum est, *iure tunc mecum non docendi cibo, sed refellendi fustibus ageretur*. Nunc Dei munere eandem tecum viam ingressus, eandem fortunam experior, miserèque odijs, calumnijs, proscriptionibus lancinatus, quasi grandi lapidum aceruo tantum non obruor ac sepelior. Sed hactenus fortè par conditio nostra, *Illustris Dne Pistori*: isthac verò impar, quod tu magno quodam animo è fluctibus illis & tempestatibus emersus, iamdudum perfugium nostrum & portum Ecclesiam limatissimis scriptis quasi fossa valloq; cinxisti ac muniuisti: ego cum turbinibus adhuc multis colluctans, neque pari robore pollens, parum tanta causa dignum instruere exercitum queo. Conuocaui tamē quas in procinctu habui copiolas, easque vt [c] *Abrahā* suos vernas, in *Amraphel* & *Arioch*, & *Chodorlahomor*, & *Thadalgentium* regem eduxi, conflicturus si queam, sin min⁹, velitaturus. Cui⁹ ego te tyrocinij quia quā maximè spectatorem opto, en tibi signa mea & castra, en tela & falces, tuis perdissimiles scio, sed nec à tyrone acutiores requirendæ. De cæteris [d] *mihi* omninò *decretum*

[b] *Lib. 1. de moreb Cathol. Eccles. cap. 18.*

[c] *Genes. 14.*

[d] *Hieron. Epist. 94. ad August.*

*est te* non vt commilitonem, sed vt ducem *amare, te suspicere, colore, mirari, tuaq; dicta quasi mea defendere:* idq; vt à me officij genus gratum habeas, peramanter oro. Vale. Mogunt. 4. Calend. Iun. M.DCIII.

---

## EPISTOLA X.

## OCTAVIVS PARAVICINVS S.R.E. Cardinalis

## *IVSTO BARONIO VETERA-castrensi S.*

### Clarissime Domine, vti frater.

FACIT singularis tua humanitas, vt tãti æstimes, ac tãtopere extollas exiguã meæ in te beneuolentiæ significationẽ: exiguam inquam, ne dixerim inanem, cum verbis tantum non re cõstet. At animum te meum spectare inprimis arbitror. Vnde & reliqua tibi omnia meritò polliceri potes, quæ à me ad tui commodum ac dignitatem emanare possint. Addis noua quædam de rebus publicis, quorum cognitione oblectari me solitum recte autumas; pergratum vtique hoc officium, ac tuum comprobat erga me studium, vnde tibi magis obstringor. Vtinã verò pijs votis tuis rerum euentus respondeant, quod si contigerit, vt sperare velim, alias à te ipso litteras expectabo, quæ maiori quidem nos gaudio cumulabunt. Deum pre-

precor, te seruet, ac ornet magis indies. Vale. Romæ die 31. Maij. M.DCIII.

## EPISTOLA XI.

### ILL^mo AC REV^mo D. OCTAVIO Paravicino S. R. E. Cardinali

### *IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS S.*

CVM iam multos dies argumenti inopia scribere ad vrbem cessarem, *Ill^me & Reu^me Domine*: tempestiuè tandem rupit silentium meum lætissima atque exoptatissima *Friderici Husmanni*, viri Nobilissimi, ac Palatini Electoris in arce *Bocksberga* Præfecti cõuersio. Qui cum hactenus annis sat multis & ipse *Caluini* errores sectatus fuisset, & alios pro data sibi facultate sectari coëgisset, fermè etiam, vt [a] *Hieronymi* verbis vtar, *omnium iudicio summo* inter istos *sacerdotio dignus decerneretur*, tandem [b] percelente Domino cælitus *Saulum*, Catholicorum authorũ, ac *Bellarmini* inprimis nostri lectione adeò à pristino mentis furore deiectus, & ad Catholicam vnitatem deductus est, vt nonsolum alacriter cum duobus filiis lectissimis iuuenibus, *Herbipoli* hæresin eierarit, Sacramentorum vinculis se palam ac firmiter nobis astrinxerit, sed

[a] *Epist. 99. ad Asell.*

[b] *Acto. 9. 3. & seqq.*

& nunc, quantum audio, perpessionibus variis hanc professionem suam ceu sigillo obsignet. Cuius viri fortunam, vt & meam, quotiescũq; mecũ animo contẽplor, totics Romanæ istæ mulieres mihi subeunt *Paula & Melania*: [c] *quæ cum contemptis facultatibus, pignoribusque desertis crucem Domini quasi quoddam pietatis leuarent vexillum fabulam toti vrbi præbuerunt. Quæ si balneas peterent* (inquit [d] S. Hieronymus) *vnguenta eligerẽt, diuitias & viduitatem haberent materiem luxuriæ & libertatis*, DOMINÆ *vocarentur*, & SANCTÆ. *Nunc dum in sacco & cinere formosæ volunt videri, in gehennam ignis videntur cum ieiuniis & pædore descendere: videlicet non licet eis applaudente populo perire cum turbis. Si gentiles hanc vitam carperent, si Iudæi, haberent solatium non placendi eis, quibus displicet Christus. Nunc verò, proh nefas, homines Christiani, prætermissa domorum suarum cura, & proprii oculi trabe neglecta, in alieno oculo festucam quærunt. Lacerant sanctum propositum, & remedium pœnæ suæ arbitrantur, si nemo sit sanctus, si omnibus detrahatur, si turba sit pereuntiũ, si multitudo peccantium. Tibi placet lauare quotidie: alius has mundities sordes putat. Tu attagenem ructas, & de comesо acipensere gloriaris: ego faba ventrem impleo. Te delectant cachinnãtium greges: me Paula Melaniaque plangentes:*

[c] Hieron. Epist. 99. ad Asell.

[d] Ibidem.

*tis: Tu aliena desideras: illæ contemnunt sua. Te delibuta melle vina delectant: illæ potant aquam frigidam suauiorem. Tu te perdere existimas, quidquid in præsenti non habueris, comederis, deuoraueris: illæ futura desiderant, & credunt veræ esse, quæ scripta sunt. &c.* Sed quid ego hæc ad te *Illme Domine*? Refricare tibi volui gaudium, quod pro pietate tua exhuiusmodi conuersorum exemplis affatim capere soles. Nec dubito quin si hunc virum omni virtutum genere ornatissimũ nosses, duplo hoc gaudium gauisurus esses. Faxit Deus, hanc restaurationis Germanicæ Prorasin vberior deinceps Epitasis sequatur. Cui quidem conatui *Illus Archiepiscopus* noster item *Reus Episcopus Herbipolensis D. Iulius* hæreticis passim reliquiis expurgandis toti incumbunt. Illisq; tanquam succenturiati accedunt duo laudatissimi vtriusq; prouinciæ Decani Cathedrales, *D. Iohann. Schuicardus a Cronberg, Moguntinẽsis, & D. Iohan. Cunradus Kottwitz ab Aulenbach, Herbipolẽsis*: viri religiosissimi, Catholicæ vnitatis propugnatores acerrimi, nutritii liberalissimi: quorum hunc vnum tenuiorum in *Franconia* Parochiarum subsidiis vltra *quinquaginta millia florenorum* de suo sponte impendisse constat. O magnum Dei zeloten! quem non modo comparare, sed & anteferre possumus ambitiosis illis

simul

simulachrorum cultoribus, [c] *qui quidquid pretiosi habebant*, ait Lactantius, *in ea conferebant, quibus nec vti poterant, nec gratias agere qui accepissent. Quanto iustius est & verius, viuentia Dei simulachra*, imò [f] ministros & [g] cooperatores Dei, *excolere, vt promereare inuenire viuentem? Qui sicut vsui habent quicquid acceperint, & gratias agunt: ita Deus in cuius conspectu bonum feceris, & probabit, & mercedem pietatis exoluet. Quoniam enim mortalis conditio non patitur esse hominem ab omni macula purum, debent largitione perpetua peccata carnis aboleri. Vnum est enim sapientis & iusti & vitalis viri opus, diuitias suas in sola iustitia collocare: qua profecto qui eget, licet ille Cræsum aut Crassum diuitiis superet, hic pauper, hic nudus, hic mendicus putandus est.* Prouexit me longiusculè præstantissimorum virorum laus, quam nec tibi molestam fore spero: multo min⁹ *Husmanni* nostri conuersionem, quem ego tibi vt nobile Ecclesiæ virgultum, *Baronio* etiam atque *Aldobrandino*, deditissimis huic hominum generi Principibus, maiorem in modum commendo. Vale. Mogunt. Idib. Iul. M.DCIII.

c Lact. lib. 6. cap. 13.

f Tit. 1. 1.

g 1. cor 3. 5. 2.

Epi-

## EPISTOLA XII.

CÆSAR BARONIVS SORANUS S. R. E. Cardinalis

IVSTO BARONIO VETERAcastrensi S.

*Vir Clarissime.*

PERGRATVM mihi fuit auditu, quod de recenti conuersione D. *Friderici Husmanni*, Palatini Comitis præfecti significas, qui è *Saulo* effectus *Paulus*, è persecutore confessor, Catholicus ex hæretico, è castris tenebrarum in campum processerit lucis orthodoxæ. Atque eo quidem gratius accidit, quod iam quasi oculis cernam, tanto illum virum, diuina cooperante gratia, fortiorem in Apostolicæ fidei palæstra futurum athletam, quanto acriorem olim scribis Catholicorum fuisse hostem. Ego quidem ni te sponte satis alacriter intelligerem in arenam descendere contra infensissimos Ecclesiæ Dei perduelles, facerem vt mea cohortatio, quam plurimi apud te valere sat scio, tui te officii admoneret: rogaremque, vt nihil tibi antiquius esse paterere, ac desiderium conuersionis animarum. Verum id ea de causa facere prætermitto, ne aut

ne aut de tua voluntate dubitare videar; aut tu aliter atque ego scriberem, interpretari possis. Scis mi *Iuste*, quæ præmia sint iis constituta, qui alios ad pietatem erudiunt, * *Fulgebunt* enim *vt stellæ in firmamento*, & si bene contemplabere, non dubito, quin id vnum tibi ad æternam nominis tui memoriam conciliãdam faciundum existimabis, vt quam maximam Iesu Christo animarum multitudinem lucrere. Valetudinem tuam diligenter cura. Romæ. 4. Non. August. M.DCIII.

*Dan.12. 3.

---

## EPISTOLA XIII.

CÆSAR BARONIVS SORAnus S.R.E. Cardinalis

*NICOLAO SERARIO SOCIEtat. Iesu Theologo. S.P.D.*

Admodum Reuerende Pater.

DELECTARVNT me mirum in modum litteræ tuæ, quibus significas, *Sancti Camerini* sacras reliquias nuper apud vos post tot annorum interualla inventas, & ad excitandam piorum deuotionem in lucem reuocatas esse. Ego certe pro mea in Sanctorum pignora religione cum præsens nõ possim, quod licet, absens ipsis vota supplex defero,

defero, & ore cordis osculum figo: *sanctumque Camerinum*, vt pro me apud diuinam maiestatem intercedat, etiam atque etiam oro. Quod ad libellum *D. Ebroicensis* attinet, illum accepi; agnoscoque in eo tuam erga me humanitatem. De rebus *Moguntiacis* à te, vt scribis, stylo expressis, plurimum tibi gratulor. *Iusti Baronii*, nostri confutationem *Pseudo Iubilæi Lutherani*, nondum vidi, desidero autem quam maximè. Verum cur suppresso nomine? & quodnam illud quod commemoras, *Romanæ Inquisitionis* præceptum? ego certè non satis quid eo velis, capio. mallem autem nomen apposuisset. Vale & nos ama. Romæ. Idid. Septemb. M.DCIII.

---

## EPISTOLA XIV.

### ILL^mo ET REV^mo D. CÆSARI Baronio Sorano S. R. E. Cardinali.

### IVSTVS BARONIVS VETERA-castrensis S.

SVMMO mihi fuerat pretio redimendum (a tuis te verbis nunc alloquar, Ill^me & Reu^me D^ne) vt amplitudo tua dignaretur accipere, quod amantissimis litteris à me sibi postulat impertiri. Ecquid illud est? inquis.

a *Epist. ad Marc. Fugger. tom. I. Ann. præfixam.*

quis. Dicam simul & faciam. Scribis *Serario* nostro, *Pseudo Iubilæum* meum *VVittebergensem* nondum vidisse te, desiderare autem quam maximè. Quid mihi gratius, quid iucundius, quidue honorificentius accidere potuisset (agnoscis [b] tuæ iterum Epistolæ verba) quam vt mea qualiscunque festinata lucubratiuncula à tali tantoque Romanæ Ecclesię principe, cuius acerrimũ iudicium, exquisitam doctrinam, ego cautè fugerim, vel fugere merito atque exhorrescere debebam, sponte sua desideraretur? Animauit me profectò hæc voluntas tua, atque in eam etiam spem erexit, si quid fortè minus ad gustum tuum, aut accuratum illũ summorũ artificum tornũ fuerit, facilioris me veniæ apud te locum inuenturũ. Accipe igitur tenuem libellum, & non meo tantum studio, verum etiam operarum vereor negligentia plus satis rudem. Mantissæ loco *Serarius* adiecit *D. Chrysostomi Florum* nouum opus: ego dicaculi in te ac *Bellarminum Stapletonumque* (me nescio quomodo* *Saulem Prophetis* etiam accensuit occæcatissimus homo) hæretici Satyram: cui vtrum respondendo an silendo satisfieri expediat, ego equidem non decerno. Vos consilium capite, & quod placuerit, mandate. Faciam obsequendi vobis voluntatem probem, si non pugnandi dexteritatem.

[b] *Ibid.*

* *1. Reg. 10. 11. 12.*

De

De suppresso vero nomine meo in Anti Iubilæo, nec dum rationem assequeris? Illme Obsecro ne quid fraudis aut degeneris timoris suspicare. Vna mihi *Inquisitio* vestra præ oculis fuit, cui, quia de mẽte dubius, ad vnguem parere malui, quàm vel minimæ inobedientiæ aleam subire. Tu tamẽ si fortè pinguius à me acceptam Bullam opinabere, eamque (quam mitto) de solidis atque æternis voluminibus, sicut ipse magis magisque reor, interpretabere: fac per Deum quamprimum sciam, leuissimi operis erit admissi erroris emendatio. Vale. Mogunt. 6. Idus Octob. M.DCIII.

---

## BVLLA S. INQVISITIONIS Romanæ, super lectione librorum prohibitorum.

*DOMINICVS Tituli S. Mariæ trans Tiberim, Pinellus: Frater Hieronymus Bernerius, Tituli S. Laurentii in Lucina, Asculanus: Paulus Sfondratus Tituli S. Cæciliæ: Camillus Tituli S. Chrysogoni Burghesius: Franciscus Tituli S. Crucis in Hierusalem, Auila: & Pompeius Tituli S. Balbinæ, Arigonius*

*nuncupati, Presbyteri miseratione diuina S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in vniuersa Repub. Christiana aduersus hæreticam prauitatem Generales inquisitores, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputati: dilecto nobis in Christo IVSTO BARONIO Germano salutem in Domino sempiternam. Cum in generali congregatione S. Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud S. Petrum coram S. D. N. Domino CLEMENTE diuina prouidentia Papa VIII. ac nobis die infrascripta pro parte tua supplicatum fuerit, vt tibi quoscunque hæreticorum, seu aliâs prohibitos libros legendi & retinendi ad effectum eorum hæreses & errores redarguendi & confutandi licentiam concedere dignaremur: nos quibus inprimis cordi est, vt omnis hæretica prauitas è mẽtibus hominum tollatur, ac summoperè cupientes vt S. Catholica & orthodoxa fides vbique floreat & augeatur, authoritate Apostolica nobis in hac parte commissa, tibi, de cuius doctrina, prudentia, & in fidem Catholicam sinceritate, quibus apud*

nos

nos fide dignorum virorum testimonio commendaris, plane confidimus, vt omnes & quoscunque libros hæreticorum, seu aliâs prohibitos etiam in Indice Romano librorum prohibitorum damnatos, ad effectum vt præmittitur, hæreses & errores in eis contentos redarguendi & confutandi, secreto & per te ipsum tantum, & sine aliorum scandalo aut periculo legere & retinere liberè & licitè possis & valeas, licentiam & facultatem, ad quinquennium proximè futurũ ab infrascripta data numerandum duntaxat duraturam, tenore præsentium damus, concedimus & impartimur. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscunq;. INIVNCTO tamen tibi, vt tam præsentium litterraũ exemplũ, quã librorum prohibitorũ, p̃dictorũ, quos huiusmodi nostræ facultatis vigore leges aut retinebis, notã quamprimum exhibeas Ordinario loci, vbi te morari contigerit, vt tempore huius facultatis elapso, vel post obitum tuum, si te interim forte ex hac vita migrare contigerit, libri prædicti ei consignentur, vt prouideat di-

*ligenter, ne ad aliorum manus perueniant, sed per ipsum tradantur igni comburendi. VOLVMVS, præterea vt si te scribere aliquos libros contingat, priusquam eos typis mandes aut euulges, ad hanc Sanctam vniuersalem Inquisitionem Romanã mittere tenearis. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præsentes litteras gratis expeditas per infrascriptum nostrum Officiique eiusdem S. Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis Notarium fieri fecimus, & manibus nostris subscriptas, sigilli S. Inquisitionis prædictæ, quo in talibus vtimur, iussimus appensione muniri. Datum Romæ in Generali congregatione dictæ S. Inquisitionis, 4. Calend. Decemb. Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi. M. DCII. Pontificatus Sanctmi In Christo Patris & Dⁱ. Nⁱ. Dⁱ. CLEMENTIS diuina prouidentia Papæ Octaui, Anno vndecimo.*

*Subscriptiones Cardinalium supra nominatorum.*

*Quintilianus Adriannus S. Rom. & Vniuersalis Inquisitionis Notarius.*

EPI-

## EPISTOLA XV.

ILL^mo ET REV^mo PRINCIPI, D. IVLIO Episcopo Herbipolensi, Franconiæ Duci, &c.

*IVSTVS BARONIVS VETERacastrensis S P.D.*

VIx dum nuper ex Vrbe domum reuersus, *Ill^me & Reu^me Princeps*, quieti me dare, atque abstergendis aliquantulum itineris molestijs vacare: id est leuare animū, sarcire vires cogitabam: cū ecce amici missa ad me petulantissima ac mordacissima *Aegidij Hunnij*, noui, si dijs placet, in Saxonia Iubilarij fecialis, seculari declamatione, rogant obtestanturque, desperatæ hominis maledicentiæ occurram, machinisque admotis calumniarum tela infringere, mendaciorum valla subruere annitar. Renuo, excusoq; primum lassitudinem, deinde nūdinarum tempus propè instans: tertio ætatem meam ac tyrocinium, nominoque qui rectius hanc Spartam videantur ornaturi. Abnuunt, instant, persuadentque tandem, promittam, facturum quod possem. Adijcio animum, apto calamum, scribo festinata magis quàm deliberata opera. Prodit tandem libellus, atque in hostem gladium vibrat. Ille priusquam mucro meus ad latus

eius pertingeret, concidit, atque infelicem animam exhalat, non stylo meo, sed numinis vi perculsus. Hic ego reuocare libellum, si possem. Sed exiuerat iam vltra limen nostrum, atq; in manus plurimorum peruenerat. Sino igitur ire, ac quem viuum nō poterat, eius mortui manes infestare Iubeo. Venit is nunc etiam ad te *Ill*^me *Princeps*, nō quod quisquam tuorum hoc pharmaco indigeat: absit, perpurgasti satis arua tua, euulsisti diligentissimè lolia illa, & lappas, & tribulos, & vrticas, & si quid amplius huius senticeti est: sed quod tibi fidem meam in Deum, studium in Ecclesiam, gratitudinem in benemeritos probare cupio. Quib⁹ quā rectè nonsolum te accensea̅m, sed inter nobiliora etiam capita constituam, norunt ij, qui nuper oculati tuæ in me reducem comitatis, tuæ liberalitatis & hospitalitatis testes fuerūt. Sine per Deum* *Macedonem* illum PHILIPPVM meminerim, qui cum *Philoni Thebano*, cuius obses *Thebis* hospitio vsus, beneficentiaque cumulatus erat, varia munera mitteret, illeque nullum admitteret: *noli* inquit, *opinionem inuicti adimere mihi, dum benefaciendo & demerendo te reddar inferior.* Si quid simile à te metuerem, *Ill*^me *Princeps*, simile responsurum daré, nō quod magnitudine tecum contendere velim (qui enim ita insaniam?) sed quod grati tudi-

* *Plutarch. in Apoph.*

tudine cum beneficijs tuis certare. Vale, tenuemq; meam opellam non veteranorum lacertis, sed anniculorum tyrunculorum viriculis admetire. Mogunt. 12. Calend. Octob. M.DCIII.

---

## EPISTOLA XVI.

IVLIVS DEI GRATIA EPIscopus Wirceburgensis & Franconiæ Dux, &c.

*IVSTO BARONIO VETERAcastrensi S.*

TVAM aduersus *Hunnium Witteber-gensis Pseudo Iubilæi* promulgatorem, concertationem litterariam, rectè accepimus. Peritè & animosè iugulum ipsius petiuisti, feliciter eundem confodisti. Ictum licet ipse defunctus, & longiori vita minimè dignus haud sentiat, sentiunt tamen, quotquot delira ipsius placita sectantur, eumque tanquam fulgentissimam Euangelij & purioris doctrinę facem prędicant. Breui opusculo, & paucis vigilijs multa quę ad Catholicæ Ecclesię famā illustrandā, multa quæ ad dogmata fidei cōfirmāda spectāt, egregiè præstitisti, non vt nouitius, sed veteranus & exercitatissimus in castris Catholicorum miles. In confutandis & expugnandis aduersarijs nostris, vt dimicare

pergas animo intrepido, non hortamur, cum probè nobis constet, voluntatem ac literaria subsidia * *ad præliandum prælia Domini* haud tibi deesse. Sospitem & incolumem te diu optamus, & paterno amore complectimur. Vale & nos, vti antehac, amare perge. Wirceburgi. 18. Octob. An. M.DCIII.

* 1. Reg. 15. 28.

*LIBRI QVARTI EPISTOLARVM FINIS.*

IVSTI

IVSTI BARONII

# VETERACASTRENSIS EPISTOLARVM SACRARVM LIBER V.

## EPISTOLA I.

ILL^mo ET REV^mo D. CÆSARI BARONIO Sorano S.R.E. Cardinali

IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS S.

QVANQVAM hoc nouo vertentis anni ingreſſu, quem nobis omnibus fauſtum felicemque eſſe volo, lęti ominis cauſa læta potius quàm triſtia aut funeſta ſcribere cupiebam *Ill^me ac Reu^me D^ne*? tamen cum æterna illa ac mirifica cœleſtis prouidentiæ vis: cuius nutu ſupera, infera, media imperueſtigabili ordine rotantur, funeſtare potius quam ſerenare huius anni primordia voluerit, nõ eligere materiam ſcribendi, ſed oblatam accipere co-

actus sum. Erat vix recens *Archiepiscopatus* hic noster *Moguntinus*, qui instar muri ahenei hæreticorum in *Germania* furiosissimis conatibus obsistit, à luctu Ill^mi Præsulis sui *D. Wolffgangi*, pijssimæ memoriæ, feliciter restauratus: cum ecce tristissimo atque insperatissimo casu, die abhinc octauo, properantibus in vindictam nostram fatis, in eandem calamitosissimam viduitatem suam relabitur, amisso optimo ac fidelissimo pastore suo *D. Iohanne Adamo*: qui febri maligna correptus, vno octiduo decumbens, desperata medicorum, opera sanctissimis Sacramentorum pharmacis instructus constantissima fide Catholica *Aschaffenburgi* in hybernis animam Deo reddidit. Cuius obitum tãto grauius omnes hic merito ferunt, quanto erat ille Princeps ad cõtemnendas hæreticorum minas animosior, ad repurgandas Ecclesias cupidior, ad promouendam Catholicam fidem publicamq; tranquillitatem studiosior. Sed est in tanta iactura hæc vna nobis spes reliqua, Deum Opt. Max. qui nunquam Ecclesiam libidini prædæque hostium planè expositam voluit, plæclararum huiusmodi virtutum semina inter Illustres *Capituli Metropolitani* proceres nõ parca fruge reliquisse, aliudq; nobis germen (quod ita superi bene faxint) proxima Electione, cui 13. Calend. Martij

dies

dies statutus est, excitaturum, vnde si non maiores, què saltem magni ac nobiles fructus enascantur. Percrebruit & hic fama de aliorum quorundam in Germania Principum Catholicorum obitu. Sed quia illi tutò adhuc fidere non audeo, à nominibus abstineo, donec certiora perferantur. Interea tu vale *Illme Cardinalis*, ac necessitatem tantæ Ecclesiæ, quæ reuera hic ab *Romana* proxima est, precibus Domino Deo iugiter commẽda. Mogunt. 17. Cal. Februar. M.DCIV.

---

## EPISTOLA II.

## OCTAVIVS PARAVICINVS S.R.E. Cardinalis

## *IVSTO BARONIO VETERacastrensi S.*

MAGNA sanè cum voluptate ex litteris tuis accepimus, quod vir nobilis & egregius *Fridericus Husmannus* in Catholicorum castra saluus & constans aduenerit. Cuius exemplum faxit diuina bonitas vt multi sequantur. Nos certè speramus, nec virtuti ac zelo tuo hac in parte parum confidimus. Cum N. N. egimus de re tua peramanter, promittit se fore memorem, ac vt eo melius esset, peculiari ac intimo libello quodã suo rem ipsam adnotauit. Ad N. N. vbi

vbi primum scripserimus, officium non prætermittemus de quo nos admones. Lætamur verò maiorem in modum, quod laus Deo bono & honorifico loco sis, tibique maiora indies optamus & precamur. Vale in Domino. Romæ. die XXXI. Ianuar. M. DCIV.

---

## EPISTOLA III.

## ILL^mo AC REV^mo D. OCTAVIO Paravicino S. R. E. Cardinali

*IVSTVS BARONIVS VETERacastrensis S.*

QVAM mirabili rerum vicissitudine hic aliquādiu rotati simus, *Ill^me & Rev^me D^ne*: Archiepiscopo vno defuncto, altero electo iterum & inaugurato, nil dubito quin aliunde perceperis. Verum mœrorem, quem alterius mors incusserat, alterius felix auspicataq; electio ita leniuit, vt quamuis dolenda illa maximè iactura, hac tamen tam larga compensatione leuius ferenda videatur. Renunciauit nobis 13. Calend. Martij dies Archiepiscopum & Electorem Moguntinum, magnum illud Capituli nostri sidus, *D. Iohann. Schuicardum à Cronberg, Decanum*: cuius honore ac Principatu

cipatu ita nunc læta est vniuersa Moguntia, imò vniuersa Moguntina diœcesis, vt gratulationibus ac iubilis omnes vici, omnia compita resonent. Nam quemadmodum *Traiano* ad Imperiū euecto * *C. Plinius* exclamat: *Non vnius Nerua iudicium illud, illa electio fuit, sed qui vbiq; sunt homines, hoc idem votis expetebant, ille tantum iure Principis occupauit, primusq; fecit, quod omnes facturi erant:* idipsum nos de hoc nostro Electo, atq; Electoribus eius Capituli Procerib⁹ asseuerare possum⁹: nō vnius cleri, vnius Capituli iudiciū illud, illā electionē fuisse: sed oēs quotquot vbiq; tā amplis huius prouinciæ finibus continentur homines, hoc idem votis omnibus expetiuisse, hunc ipsum animis suis iam dudum tam Sacræ Sedi destinasse & consecrasse. *Neq; enim tantopere cunctis factum placeret* (inquit ibidem Plinius) *nisi placuisset antequam fieret.* Meus verò quis in hac liberalissimi Mœcenatis amplissima fortuna animus sit, *Ill^me Cardinalis*, verbis consequi non possum. Vnum dicam, incedo omnibus lætitiis, neque id ideò tantum, quod digna tandem vigilantissimo Præsuli merces responderit: verum multo magis, quod eum mihi nactus Principem videor, cuius auspicijs deinceps paulo suauiores ad Ecclesiam redeuntibus viæ patescant, quique tam variorum

* *In Pane gyr. Traian. dicto.*

orum impedimentorum sentes humaniori aliquantum falce auerruncet.

De rebus meis gaudeo memorem fore optimum Mœcenatem. De *Friderico Husmanno*, scribet ipse breui ad vos, totamque rerum suarum seriem quasi in tabula depinget. Interea tu vale *Ill^me D^ne* meq; nominis tui obseruantissimum tuo Patrocinio nunquam destitue. Mogunt. Prid. Calend. Martij. M.DCIV.

---

## EPISTOLA IV.

## IVSTVS BARONIVS VETERacastrensis

## *FRIDERICO HVSMANNO A Namedei, Nobill^mo Viro S.P.D.*

ALIQVANTVM mœroris, sed plus gaudij mihi attulerūt litteræ tuę, *Nobilissime Friderice*. Mœroré incussit iniquissima illa quorundam hominum aduersus caput tuum machinatio, nulla vel minima iustitia aut iustitiæ specie suffulta, sed omni ex parte liuore, odio atq; insatiabili vindictæ cupiditate redundans: vt quid magis doleam, crassissimam hominum cæcitatem, an astutissimam malitiam, planè mecum non discernam. Cæcitas est, aduersus innocentissimum virum consurgere, atque eius famam lace-

lacerare, animum criminari, salutem conculcare. Malitia, æquissimas defensiones respuere, responsa cauillari, falsissima crimina comminisci, atque identidem in capite condemnationis collocare. Sed quid agas? hæreticorum priscus iste mos, vt nulla in re sibi magis satagendum, magis vigilandum ac tumultuandum censeant, quam in persecutione eorum, qui abiectis magistrorum suorum nugis vni constanti Catholicæ Ecclesiæ magisterio se subijciunt, atque è dispersione ad domum paternam *S. Petri* redeunt. Sic Iudæi *S. Paulum*, Manichæi *S. Augustinum*, Pelagiani *Leporium*, Lutherani *Staphylum*, *Wicelium*, *Pistorium*, aliosq; quam plurimos sectæ suæ prudentissimos desertores tractarunt, vt nos qui recenter eorum vestigijs insistim⁹, meliorem nobis optare fortunam nec debeamus, nec possimus. Sapienter itaq; tu quidem (quod magna vicissim me voluptate perfudit) furibundos hominum conatus & patientia toleras, & prudentia declinas. Sic enim ex præcepto Domini [a] *animi nobis in patientia possidendi*, [b] *serpentina prudentia induenda*, [c] persecutiones in magna felicitatis parte ponendæ, ac deniq; gratiæ agendæ Deo, qui in pręteritorum delictorum vindictam momentaneas seculi huius perpessiones imponere nobis dignatur, quas [d] S. Paulus,

*a Luc. 21. 19*
*b Matth. 10. 16.*
*c Matth. 5. 10.*
*Act. 5. 41.*
*d Rom. 8. 18.*

*nullo*

*nullo modo condignas esse* ait *gloria venturiæ-ui, quæ reuelabitur in nobis.* Sed nolo nunc latissimum hunc consolandi campum ingredi, qui te ipsum satis ad tam bruta hostium tela perferenda & superanda animatum esse video. Ad litteras potius tuas redeo, quibus quod in ipso statim vestibulo tantam amoris vim & copiam profundis, vt nó in numero tantum, sed capite quoq; verorum amicorum me vnum collocandum censeas, agnosco equidem magnæ cuiusdã tuæ in me beneuolentiæ documentum, sed cui ego vix ex voto respondere queã. Etsi enim in amore tui & cultu nemini eorum concedam, quibus te amicissimum nosti, tamen profecto isto, quo me dignaris loco, nonsolum me indignum, verum etiam imparem esse profiteor. Quid enim penes me est, ex quo nobilissimo & amplissimo viro dignum aliquod commodum emolumentumue prouenire queat? Sanè litteras ad *Ill*^mos *Cardinales* libens volensque scripsi, quisq; eorum animus erga te & omnes nostri ordinis sit, verbis eorũdem intelligere te volui. Sed quod inde expectandum subsidium, eorum fuit, non meum. Nuncius ego solum atque interpres necessitatis tuæ: qui si huiusmodi officio fructum aliquem videar rebus tuis allaturus, velim iubeas non roges, mandes non obsecres. Suadeam

verò

verò ipse primo quoq; tempore ad vrbem scribas, collaudataque summorum in te principum voluntate, si qua in re tibi vsui esse posse existimes, libere ab eis petas. Nō denegabunt tibi officium suum: ita ardent conuersorū amore, ita in eis ornandis nunquam sibi satisfacere queunt.

De cęteris rebus scribam breui certiora. De præsenti studioso, quem mihi commēdas, dignum eum iudico bonorum virorū gratia & fauore. Sed certè hic nullus iuuandi eius locus. Intelligo potius apud te gratiosum esse cupere. Cui si quid mea commendatio afferre adiumenti potest, en de manu in manum tibi eum trado, vtq; eum omnibus rebus iuues atq; ornes, oro. Proselytus & ipse est, purus ex impuro, Catholicus ex hæretico, quæ illi pietas merito decori adiumentoque esse debet. Vale *Nobiliss*^me *Vir*, teq; serio à me amari atq; coli scito. Mogunt. 6. Idus Februar. M. DCIV.

## EPISTOLA V.

ILL^mo ET REV^mo PRINCIPI D. Iohan. Schuicardo, Electo Arch^po Et Electori Moguntino &c.

*IVSTVS BARONIVS VETERAcastrensis S. P. D.*

Ill^me & Reu^me Princeps, D^ne Clementiss^e.

ID nempe ominabar, id precabar, ac votis omnibus desideriisque expetebam, cum nuper grauissimo viduitatis vulnere hanc Archiepiscopalem Ecclesiam perculsam viderem, vt tu, qui hactenus beneficentissimi erga me Patroni ac Mœcenatis, imo Dei, vt ita dicam, ac Patris munus longè cumulatissime expleueras, deinceps mutato nomine, ac demessa meritorum tuorum semente, Clementissimus mihi Princeps, Reuerendissimus Elector & Archiepiscopus S. Sedis *Moguntinæ*, quæ non minus post Apostolicam, quàm post Imperatoriam in Germania prima est, renunciarere & inaugurarere. Quod animi mei augurium ac votum tam felici nuperrimæ Electionis successu comprobatum fuisse, toto pectore lætor & gaudeo, adeò quidem, vt si me exultare potius ac tripudiare dixero, non solum

lum non mentiar, verum etiam minus dixero. Auget siquidem hanc mentis meæ lætitiam mirum in modum, reliqui totius cleri ac populi suffragium: quos inter nemo est, honestioris saltē nominis aut famæ, quin huic Insulæ tuæ aperta etiā voce gratuletur, ac Iubilo quodam sonoro applaudat, non humanis consiliis, sed cœlesti numine Principem sibi optimum ac desideratissimum contigisse protestans. Romana vero curia atque Imperatoria aula quibus lætitiis hanc sceptrorum tuorum famam complexuræ sint, intelligere quidem mihi videor, at dicere supervacaneum iudico. Ita enim iam pridem eximiæ tuæ virtutes magnarum rerum administratione dignissimæ, passim vniuersi Imperii Ecclesiæque Proceribus innotuere, vt quem magis ad præsentes rerum motus sedandos, salutaremque ad portum sapientibus consiliis dirigendos, huic excelsæ speculæ præfectum velint, inuenturi sint neminem. Quamobrem nos, nisi in diuos cælites ingrati esse velimus, Omnipotenti Deo ante omnia maximas agere gratias debemus, qui Ecclesiæ suæ tam difficili tempore de tam optato faustoque pastore prouiderit. Postea tibi ex animo gratulari, qui nulla ambitione concordibus votis, vno pietatis virtutisq; tuæ merito in eum locum euectus es, vbi

ampliſſimam habiturus ſis facultatem, & diuinæ gloriæ Catholicæq; Eccleſiæ quàm maximè augendæ atq; amplificandæ: & hæreſeon impietatisque longè lateq; propulſandæ & extirpandæ: & animarum fallacibus hamis ineſcatarum liberandarum lucrifaciendarumque: denique de maximis humani generis vtilitatib. quàm largiſſimè ac prolixiſſime promerendi. Quam ego actionem cum propriam iſtius Cathedræ, tum inprimis glorioſæ & iucundæ vitæ effectricem iudico. Vt non aliena à propoſito noſtro illa[a] *Plinii* Panegyris futura ſit, cum *Traiano* ad Imperium euecto inter cætera ſic gratulatur. *Extemplo vt quiſquis factus eſt Princeps, fama eius; incertũ bona an mala, caterũ æterna eſt. Non ergo perpetua Principi fama, quæ inuitum maneat, ſed bona concupiſcenda eſt. Ea porro non imaginibus & ſtatuis, ſed virtute ac meritis prorogatur. Quin etiam leuiora hæc formam Principis figuramq3, non aurum melius vel argentum, quam fauor hominum exprimat teneatq3, quod quidem prolixè tibi cumulateq3 contingit, cuius lætiſſima facies & amabilis vultus in omnium ciuium ore, oculis, animo ſedet.* Sed forte libentius Epiſcopus Epiſcopum de Principatus bonis veraque gloria diſſerentem audias. Audi igitur non Epiſcoporum tantum, ſed & doctorum Eccleſiæ maximũ, AVGVSTINVM.[b]

[a] *Plin. Secund. in Panegyr. Traiano dicto.*

[b] *Lib. 5. de Ciuitat. Dei ca. 24.*

*Nos*

*Nos* inquit *Christianos quondam Imperatores* (intellige pariter & suo modulo cæteros gubernationi Ecclesiæ vel Reipub ptæfectos Pontifices, Patriarchas, Episcopos &c.) *nequaquam ideò felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Reipub. domuerũt, vel inimicos cives cõtra se insurgentes & cauere & opprimere potuerunt. Hæc enim & alia huiusmodi ærumnosæ vitæ vel munera vel solatia, quidam etiam cultores dæmoniorum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent isti. Et hoc de misericordia scilicet factum est, ne ab eis, qui in eum crediderunt, hæc tanquam summa bona desiderentur. Sed felices eos dicimus, si Iusta imperãt, si inter linguas se sublimiter honorãtium & nimis honorabiliter salutantiũ, & sibi nimis humiliter obsequẽtium non extollãtur: si se homines esse meminerint: si potestatẽ suam ad Dei cultum dilatandum maiestatiq; eius famulari faciunt: si Deum timẽt, diligunt, & colunt: si plus amant regnum illud, vbi non timẽt habere consortes: si tardius vindicant, facilè ignoscunt: si eandem vindictam pro necessitate regendæ tuendæq; Reipub. non pro saturandis inimicitiarum odiis exercent: si eandem veniam non ad Impunitatem iniquitatum, sed ad spem correctionis indulgent: si quod asperè coguntur plerunque decernere, misericordiæ lenita-*

*nitate & beneficiorum largitate compensant: si luxuria in eis tanto castigatior, quanto potest esse liberior. Et si hæc omnia faciant non propter fauorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ: si propter peccata sua humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium Deo vero immolare non negligunt. Tales Christianos Imperatores & Principes dicimus esse felices interim spe, donec re ipsa futuros, cum id quod expectamus aduenerit.* Hæc S. Augustinus: cuius ego verba non Paræneſin tibi, *Princeps Ill^me* sed mihi & aliis speculum virtutum tuarum proponere volui: qui te hac regula non viuere & Imperare debere, sed hactenus in tua Prælatura constanter admirantibus omnib^9 vixisse, ac deinceps in hoc longè eminentissimo solio cõstantius admirabiliusq; victurum & imperaturum firmiter confidimus & spondemus: eoque nomine longè impensius etiam non nobis solum verum vniuerso quoque *Archiepiscopatui Moguntino* gratulamur. Si enim verum est, quod *Salomon* ait: [c] *Verè Rex sapiens, populi stabilimentum est*: si vera *Platonis* sententia, tantoperè à [d] *Cicerone* ac [e] *Boëthio* celebrata: *tum denique beatas fore Respub. si aut docti & sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent*: quis neget tuo longè religiosissimi ac sapientissimi Prin-

[c] Sap. 6. 26.
[d] Lib. 5. ad Quint. Frat. Epi. 1.
[e] Lib. 1. de Consolat. Philosoph. Prof. 4.

Principis Imperio longè maxima felicitate omnes hoſce populos *Electorales* à Deo affectos dotatoſque eſſe? Qui prouidentiſſimus Deus clementer etiã faxit, auſpicato ſidere hoſce faſces tuos capeſſeris, & fama rebuſque geſtis omnes maiores tuos non æques ſolum, ſed & ſuperes. Quod vt preces pro te noſtræ quotidiè allaborent, enixè ſtudebimus. Tu de nobis firmam hanc ſententiam menti tuæ inſculpito, quo hacten⁹ Sacramento ILL^mo Anteceſſori tuo adſtricti fuimus, eodem etiam tibi & arctiori adſtrictos fore, quaſque commendatas getimus *Spartas*, pari cura ornaturos: quin nihil vnquã ad Celſiſſimi nominis tui dignitatem, ad gloriæ tuæ immortalitatem, atq; omnis iuſtæ voluntatis, qualis tua ſemper eſt, obſequium intermiſſuros. Vale. Mogunt. Prid. Calend. Mart. M.DCIV.

---

## EPISTOLA VI.

### *IVSTVS BARONIVS VETEracaſtrenſis*

### VALENTINO LEVCHTIO, DOctori Theologo, Canonico Francofurtenſi &c.

S.P.

EHEV tu quid narras? *Gallum* illum noſtrum tam prouectæ ætatis virum, tam matu-

maturæ prudentiæ & doctrinæ adeò fœdè ac turpiter lapsum, imò ad pristinum volutabrum relapsum, atque [a] *instar canis vomitum resorbuisse*? Quis nostrum vnquam tantam in homine leuitatem post tam variarum tribulationum ignes suspicatus fuisset? Ego certè nunquam nisi optima quæque; nec quisquam credo hic nostrum aliter. At hoc exemplum coarguit simplicitatem nostram, crucemq; figit omnibus conuersis, ne quisquam deinceps vlla vel ope vel opera eos sit securè coadiuturus. ô rem turpissimam! Sed quæ causa homini ad tam immane scelus? Desperatio, quod nusquam videret se stabilem aut fixam sedem inuenire posse. Dolendum certè hoc, neque excusanda negligentia eorum, qui quæ possunt, huic hominum generi non præstant. Sed numquid hęc sufficiens tam fædę Apostasię causa? Quid si vel vitam pro fide Catholica profundere debuisset? quales Martyres multos habet *Gallia*, multos *Anglia*, multos *Belgium*, & fortè etiam hæc *Germania* nostra: qui quia norunt, [b] *incomparabiliter pulchriorem esse veritatem Catholicorum, quam Helenam Græcorum, pro ista fortius aduersus hanc Sodomam, quam pro illa mille heroes aduersus Troiam dimicauerunt.* Ast hic confessor nimium mollis tenerq;, non sãguine, nõ morte, sed vna nuditate, vna fame ad

[a] 2. Pet. 2. 22.

[b] August. Epist. 9. ad Hieron.

me ad tam luctuosum famæ sempiternæq; salutis suæ iacturam se adigi patitur. ô stultitiam ineluctabilem? quis mihi dabit [c] *linguam auream & cor ferreum, quibus ego non carminibus sed lamentationibus sufficiam plãgere* extremam hominis miseriam! Quid enim cõscientia eius? tacet aut reclamat? Reclamare certissimum est, si vna vnquã gutta purioris fidei imbuta fuit. At nunc mole vanissimorum præmiorum, aut saxis magnificarum pollicitationum premitur, tandem tamen insurrectura, & tyrannum suum ad acerbissimam vindictam abreptura. Rectè enim *Pythagoras* ille *Samius*. Κακὰ μείζω πάσχει διὰ τὴν συνειδότα ὁ ἀδικῶν βασανιζόμενα, ἢ ὁ τῷ σώματι καὶ ταῖς πληγαῖς μαστιγούμενα. *Vir iniquus & afflictus conscientia, plus mali patitur, quàm ille, qui in corpore castigatur, & flagris caditur.* Ego interim nihil ad hominem, nec *Patres* nostri, qui rectè iudicant, omnia in ista [d] *arundine* consolidanda frustra fore. Misereatur eius Præpotens Deus, & si veniæ locus, in viam reducat: sin minus, misereatur aliorum, quos hoc offendiculum non leuiter, vt metuo, percellet, nec parum à salutaris viæ curriculo absterrebit. Mitto tibi binas ex vrbe á D. *Iosepho* nostro, cuius exemplum & mira religio magnopere hunc cõsolari

c *August. Epist 39 ad Licent. quæ alias 41.*

d *Matth. 11. 7.*

solari luctum nostrum potest. Vtinam vtinam simili zelo omnes conuersi propositum suum persequerentur. Iste enim est *Paulinus* noster, ad quem vt *Augustinus Licentium*, ita nos leuiculos istos transfugas amandare possumus. [e] *Vade* inquit *in Campaniam, disce Paulinum egregium & sanctum Dei seruum, quam grandem fastum huius seculi, tanto generosiore, quanto humiliore ceruice incunctanter excusserit, vt eam subderet Christi iugo, sicut subdidit, & nunc illo moderatore itineris sui quietus & modestus exultat.* De libris à *Sublindio* nostro nihil dum vidi, nec audiui. Hærent vspiam aut perierunt. Electum nouum *Archiepiscopum Moguntinum*, certe optatum ac tanto solio dignum Principem, tibi mihiq; gratulor. Faxit Deus pedo eius diu salubriterque pascamur. Vale. Mogunt. Prid. Non Martii. M.DCIV.

[e] *August. Epist. 39. ad Licent. quæ alias 41.*

---

## EPISTOLA VII.

## OCTAVIVS PARAVICINVS S.R.E. Cardinalis

## *IVSTO BARONIO VETERA-castrensi S.*

*Magnifice & Clarissime Domine.*

TETIGERAT vos sanè manus Domini, in obitu pijssimi Præsulis vestri *Moguntini*

*tini*, sed mox pro summa clementia sua sanauit, dato altero pari virtute præclaro, ita vt eum plane ad cœlestem gloriam euocatum, non ereptum nobis dicere debeamus. Ego vero ob electionem optimam ac optatissimam eo etiam nomine non mediocriter sum lętatus, tum tua causa, tum aliorum ad Ecclesiam redeuntium. Nam parentem ac patronum qualem voluistis, nacti estis. De *Husmanno* quæ scripsisti pergrata, & speramus meliora indies. Cum N. N. de re tua egi, sumusque ambo in hoc intenti, vt æquissimo desiderio tuo satisfiat. Dedit mihi *Ill*^mus *Baronius* libellum à te missum, cui non est cur plura modo, sed felicia quęcunque precor finem faciens. Romæ die 17. Martij M.DCIV.

---

## EPISTOLA VIII.

### IVSTVS BARONIVS VETERA-castrensis N. N. Sanam & constantem mentem.

ACCEPI nuper tuas quasdam, amicas satis, sed *sine die* quod aiunt & *consule*. Quod quo consilio feceris, nondum conijcio. Si festinatione, bene est, ego idem mihi interdum accidisse memini. Sed interea haud dubijs sermonibus percepi, te nescio quid remoræ & tentationum in fidei curriculo

culo sustinuisse. Quod eo facilius credidi, quia & huiusmodi aliquid litteræ tuæ, sub verborum tamen inuolucro innuebant. Id si est, doleo, & quanquam medicus parum nobilis sum, præsens tamen vulneri tuo, quam absens medicinam afferre malo. Non equidem puto vllum tibi doctrinæ Catholicæ caput suspectum esse posse, qui ipse varia vetustatis lectione percepisti, quàm firmo censensu vniuersa antiqua Ecclesia per XV. ordine secula Catholicæ nobis fidei societate cohæreat: quanto odio omnes ab *Romana S. Petri*, tanquam noui *Aaronis* sede diuaricantes profecuta sit: quantis laudib⁹ *S. Irenæus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Basilius, Gregorius, &c.* Pontificem Max. tanquam certissimam in omni hæreseon tempestate anchoram extulerint, probarint, commendarint: adeò vt [a] *S. Cyprianus* vno hoc compẽdio artificiosissimè ac feliciſſimè omnes controuersias dirimi posse statuat: vt quidquid successorum *S. Petri* voce damnetur, diuino oracolo damnatum statui debeat: quidquid eorundem suffragio comprobetur, de Christi ipsius mente profectum credi oporteat. Respiciens scilicet S. Martyr ad ea, quæ in [b] Deuteronomio *Moyses*, in [c] Malachia *Propheta*: in [d] Matthęo *Christus*: in [e] priori ad Timotheum *Apostolus* grauissimè sanctissimeque scripta reliquerunt.

*a Lib. de Vnitate Eccles. cap 3.*

*b Deut. 17. 8. 9.*

*c Malach. 2. 7.*

*d Matth. 18 17.*

*e 1. Tim. 3. 12 13.*

Iam

Iam morum aliquod si offendiculũ passuses, cogita [f] *Iliacos intra muros peccari & extra*: cogita & nostrates homines esse, à quibus [g] *nil humani alienum putandum* sit. Quid enim Christus? [h] *Supra Cathedram Moysi* inquit, *sederunt Scribæ & Pharisæi. omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite, secundum opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt.* Denique cogita, si quis accurata velit vtrosque trutina pensitare, duplo triploque melius apud nos viui, quam apud *Caluinianos* istos aut *Lutheranos Libertinos*, qui quod in nobis damnant, ipsi liberius perpetrant, sine ieiunijs, sine eleemosynis, sine orationibus, sine castitate & voluntaria paupertate licentiosissimè viuẽtes, haud secus ac si [i] *Cũ morte fœdus percussissent, & cum inferno pactum*. Extra hæc si quid sit, quod te offendat, ego quidem cognoscere ex te aueo, coniectare vero nullo modo possũ. Scribe ad nos, veni ad nos, consule nos, non ita inopes rationum Theologos nostros inuenies, quin scrupulos tibi tuos leniter contusuri, & tutæ tranquillæque conscientiæ oleum infusuri sint. Si tu quid reclamantis animi gestasti, quæso te cur non emollisti ante? Cur non medicis animę tuæ aperuisti, vt in tempore vomicam tuã secarent, linirent, sanarent? Nunc posteaquam te sanum exhibuisti,

f Horat. lib. 1. Epist. 2. ad Loll.
g Terent. Heautont.
h Matth. 23 2.
i Isai. 28. 15.

sti, sanus Ecclesiæ limina intrauisti, turpiter resilis, & non vsque quaque benè tibi esse quiritaris. ô si tu cogitares, quantæ hic infamiæ notam, quanti periculi aleam incurreres, qui matrem tui conuersione exultantem mœrore iterum percutis, animulam Christo oblatam Diabolo postliminio reddis, fratres sensim bono exemplo tuo euigilantes, raptim malo exemplo tuo in Lethargum calamitosissimum reuocas, tibi deniq; ipsi secũdę pœnitentiæ fores occludis: heu heu quã tui te facti pœniteret, quã tæderet, quam puderet! Reuoca per Deum animum, calca Diabolum, subige tentationes, magno Ecclesiæ pharmaco; quam *Catholicam* te *credere*, non *Caluinianam*, non *Lutheranam*, Symbolum Apostolicum docuit: aut si hæc medela infirmior, robur adde ex præclarissimis *S. Augustini*, *Cypriani* *Tertulliani* tractatibus, *Præscriptionibus* meis insertis. Quos vbi attentè diligenterque legeris, iuro tibi, nisi cæcus fatăliter esse velis, haud vnum diem *Caluinianum* istum funem trahere poteris.

Obijciunt quædam isti, ad quæ tu non satis tibi videris respondere? Quid tum? Tu ne putas quosuis nostrum quasuis istorum strophas soluere posse? Vix olim, vix hodie plebs Christianorum omnes *Philosophorum*, *Arianorum* aculeos retundere potest: non aliquo

aliquo istorum robore, sed sua infirmitate, aut parum exercitato ingenio. Sicut[k] *In pugna pugilum & gladiatorum plerunque non quia fortis est, vincit quis, aut quia non potest vinci: sed quoniam ille qui victus est, nullis viribus fuit. Adeò idem ille victor bene valenti postea comparatus, etiam superatus recedit. Non aliter hæreses de quorundam infirmitatibus habent, quod valent, nihil valentes, si in bene valentem fidem incurrant.* Ac tales quidem valentes homines, tales sublimioris eruditionis & spiritus viri nequaquam nobis desunt, qui omnes istorum, quas tu aheneas putas demonstrationes, haud secus ac telas aranearum diffiando quasi dissipare, concerpere, & in cineres pulueresq; cõminuere possunt. Fac periculũ mi N. mitte aliquod huiusmodi ferreũ tuorũ argumentũ: nisi Theologi id nostri tuo ipsi[2] iudicio solidè viriliterque confecerint, ego permitto vt quocunque te impetus rapuerit, libere eas. Aliud est, Theologiæ limina quotidiè terere, aliud de mense vel anno semel è longinquo fores eius salutare: alij *S. Thomæ* nerui, alij Locorum *Musculi* aut *Philippi* stipulæ sunt. Quid multa? Vnum tu forte argumentum attulisti, in quo dissoluendo quia tardiores fuere nostri, de cæteris etiam diffisus es. Argumentum id sumptum fuit *è loco Promotionis*. Nonne si verum

[k] *Tertull. de Præscr. cap. 2.*

rum fateri vis, acu rem tetigi. At tu parum fortis miles es, qui hoc bacillo cecidisti. Primum pro studiorum tuorum ratione, non ita possunt semper nostri, vt volunt. Deinde si possint, putas ne quandoq; non magna in hominibus promouendis cautione opus esse, quorum multi [l] *cum videntur stare, cadunt*, multi cum videntur progredi, resiliunt. Tandem nec de te omnium dierum sol occiderat. Tene tantum stationem, quam accepisti, redi, [m] *ne alius accipiat coronam tuam.* Ni redieris, maculam leuitatis & perfidiæ nemini inures turpiorem, quàm tibi & liberis tuis, quibus nusquam nec Catholici nec hæretici plenam adhibebunt fidem. Quod ne tibi malum eueniat, Deum trinum & omnes Sanctos oro: quos Catholicæ etiam Ecclesiæ propitios fore, gloriamq; eius & amplitudinem ad latiores semper fines propagaturos scio, si vel tu maximè ad antiquum, quod haud spero, ingenium sis rediturus. Vale mi N. & vehementiæ affecti animi ignosce, qui vbi dolet, tibi dolet, vbi exultat, tibi exultat. Vale iterum. Mogunt. 3. Calend. Maij.

M. DCIV.

[l] 1. Cor 10. 12

[m] Apoc. 3. 11.

EPI-

## EPISTOLA IX.

ILL^mo ET REV^mo D. PHILIPPO Electo Episcopo Wormatiensi

IVSTVS BARONIVS VETERAcastrensis S.

SI tam libenter à te susceptus est Episcopatus Wormatiensis, *Ill^me & Reu^me Princeps*, quam libenter eundem ego tibi collatum audiui, sanè in magnum vtrinque gaudium concurrimus. Est enim ea dignitas tanta, vt *D. Ambrosius* alicubi exclamet: [a] *Nihil in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri posse.* Et paulò ante. [b] *Honor* inquit, *& sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adaquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cum videas Regum colla & Principum, submitti genibus sacerdotum, & deosculata eorum dextra orationibus eorum se credant cõmuniri.* Sed & Apostolus huic Excellentiæ satis luculentum præbet testimonium, cùm ait: [c] *Episcopatum qui desiderat, bonum opus desiderat. Opus* [d] (inquit D. Hieronymus) *non dignitatem, laborem nõ delicias, opus per quoa*

[a] S. Ambr. in Pastorali

[b] Ibidem.

[c] 1. Tim. 3. 1.

[d] In eundē Pauli locū.

*humilitate decreſcat, non faſtigio intumeſcat.* Sed quàm longe ego te ab huiuſmodi typho alienum noui *Ill*^me^ *D*^ne^ tam dignum iam diu arbitratus ſum, qui & priuatis tuorum in me beneficiorum meritis, & publicis virtutum in omnes præſtantiſſimarum ſuffragijs aſtipulantibus, ab excelſa ſupremæ prælaturæ Sede, ad celſiſſimam ſupremæ gubernationis Eccleſiaſticæ ſpeculam, inter marmoreas diuinæ domus columnas, & ſereniſſimos *Romani Imperij* Principes eueherere & connumerarere. Vbi ſcilicet & digno honore coruſcares, & ampliorem pietatis ſapientiæq; tuæ in rebus longè maximis exercendæ copiam obtineres. Quam voti mei ſummam ita feliciter nuper in te adimpletam fuiſſe, & gaudeo ex animo, & tibi toto pectore gratulor: nec tibi ſolum, ſed & ouibus tuis, & afflictiſſimæ Eccleſiæ Wormatienſi, quę vt[e] *lilium inter ſpinas* modo hac, modo illac compuncta & lacerata, dudum tui ſimilem Principem deſiderauit, qui & ſpinetis huiuſmodi aculeos defringere, & lilijs ſuis lætam pietatis auram ſufflare poſſet, non exemplis minus vber, quã præſidio firmus, & doctrina fœcũdus: quam ego potiſſimam huius Præſulatus laudem puto. Nam [f] *ſicut Senatorem chlamys ornat, ſicut agricultura ruſticum, ſicut barbarum arma, ſicut nautam nauigationis peritia*

[e] *Cant. 2. 2.*

[f] *Ambroſ. in Paſtoral.*

*& ſin-*

*& singulos quosque opifices operis sui qualitas, ipsos demonstrat auctores: sic Episcopum non aliter nisi Episcopalis operatio designat, vt ex bono opere magis quam professione noscatur plus meritis esse Episcopus, quam quod nomine vocitetur.* Alioqui[g] *Ecclesiæ Principes, qui in delicijs affluunt, & inter epulas atq; lasciuias pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo describit,*[h] *quod eijciendi sint de spatiosis domibus, lautisq; conuiuijs, & multo labore epulis conquisitis, & eijciendi propter malas cogitationes, & opera sua. Et si vis scire, quo eijciendi sunt; Euangelium lege:*[i] *in tenebras scilicet exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. An non confusio & ignominia est, Iesum Crucifixum, magistrum pauperum, atq; esurientem, fartis prædicare corporibus? ieiuniorumq; doctrinam rubentes buccas, tumentiaq; ora proferre? Si in Apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed conuersationem quoque, & abstinentiam amplectamur.* Hæc ego tanto fidentius ad te, *Ill*[me] *& Rue*[me] *Princeps*, quanto sanctioribus te moribus vitam tuam ad hãc regulam componere scio. Dominus *Iesus* te Sacro Apostolorum collegio asscriptum, indies magis magisque sapientia adaugeat, valetudine corroboret, successu firmet, omni denique spiritus munimine cingat, quo cõceptæ de te spei cumulatissime respondeas, atq; Ec-

g S. Hieron. in ca. 2. Michea. C. Ecclesia dist 35.

h Michæ. 2. 1. 2.

i Matth. 22 13.

cleſiæ Catholicæ ſtatum florentiorem, exulum calamitatem tolerabiliorem, famam tuam plurimis ſeculis diuturniorem efficias. Vale. Mogun. 16. Cal. Iunij. M. DCIV.

## EPISTOLA X.

### *IVSTVS BARONIVS VETERacaſtrenſis A.S.E.H. S P.D.*

PLVRIMVM affecit *Patres* noſtros tua inſcribendo humanitas, gratumq; magis ipſis quàm moleſtum fuit, ſuum abs te in hoc præſertim officiorum genere deſiderari ſtudium. Optant vnicè, crebrius ſcribas, hauſtiſque acidulis, quas ſaluberrimas tibi mecum precantur, præſens colloquare: humaniſſimo præſertim ac doctiſſimo illi *Mulhuſino*, cuius genium delibaſti iam olim, guſtares plenius, ſi anchoram hic aliquandiu tuam figeres. Sed video pulſum remorum tuorum: ah non ſatis felicem Eſto: non præternauigabis tamen, quin illa καθάρματα & περιψήματα atque vngues vlcerum veſtrorum cominus ſalutes, & leui velitatiuncula periclitere. Erit hoc illis longe iucundiſſimum, tibi vero vtiliſſimum: quem virum doctum & prudentem imperitis nugis tamdiu adhæreſcere, non pauci mirantur, plures dolent. Sed quis nouit,

uit,[a] *qua hora Patrifamiliâs nouos vineæ suæ operarios aduocare* libeat. Sunt intra Ecclesiam fortes milites: sunt extra Ecclesiam fortes perduelles, ne nimis cito depugnatum fidei prælium torpidum reddat orbem, atque industriæ constantiæque laudem adimat probatis: quos quo fine hic vel caminus vel Mars intestinus exerceat, Apostolus, docuit, cum ait:[b] *oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant.* Ego te mi N. cum pristinis amicis, Præceptoribus & discipulis meis tam longè ab hæresi abesse cupio, quàm longè abest[c] *Felix illa Romana Ecclesia,*[d] *ad quam perfidia non potest habere accessum.*[e] *Huic Ecclesiæ* etsi maximè hodiè *Rainoldus* vester, *Pareus*, *Polanus*, &c. more maiorum suorum hæretico succo suffartorum *Principatum existimant denegandum, illius tamen nullo modo poterunt minuere dignitatem, sed inflati spiritu superbiæ semetipsos* (ni à mente desciscant) *in inferna demergent.* Authores non nomino, nosti ipse, si *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Leonem Magnum* nosti. Nec plura addo, ne qui salutare institui, disputare videar. Tu Vale, & nos amantes tui pari affectu complectere. Mogunt. 12. Calend. Iulij.

M.DCIV.

[a] *Matth. 20. 6.*

[b] *1. Cor. 11. 19.*

[c] *Tertull. de Præsc. c. 36.*

[d] *Cypr. Epist. 45.*

[e] *Leo Magn. Epist. ad Episc. Viennens. prouinc.*

## EPISTOLA XI.

ILLVSTRI ET REVERENDO Dno Georgio Friderico à Greiffenclaw, Metropolæ Eccl. Mogæ Præpoſito, &c.

*IVSTVS BARONIVS VETE racaſtrenſis S.P.D.*

ACCEPI munus tuum, liberale herclè & magnificum, meaque prope perſona ſublimius. Sed vobis ſcilicet magnis viris præ oculis *Magnus* ille *Alexander,* [a] qui amicorum cuidam *Perillo* dotem filiabus petenti, L. talenta obtulit. Cumque is ſufficere X. diceret, *Tibi* inquit, *accipere tantum ſatis eſt, mihi dare non item.* Perinde atq; alteri [b] ciuitatem donans, cum is non conuenire humili fortunæ ſuæ ciuitatem reſponderet: *non quæro* inquit, *quid oporteat te accipere, ſed quid deceat me dare.* Multo rectius equidem & regia magnificentia ſua dignius, quàm [c] *Antigonus* ille, *à quo cum Cynicus peteret talentum, reſpondit, plus eſſe quàm Cynicum deceret petere: iterum repulſus cum peteret denarium, reſpondit minus eſſe, quàm quod regem deceret dare; turpiſſima* (inquit Seneca) *cauillatione, qua inuenit quomodo neutrum daret. In talento Cynicum, in denario regem reſpexit. Cum poſſet & denarium*

[a] *Plutarch. in Apoph.*

[b] *Senec. lib. de benefic.*

[c] *Seneca ibidem.*

*rium Cynico dare, & talentum tanquam rex.* Sed ad te redeo *Illustris & Reu*^de *D*^ne, cuius tanto clarius erga me liberalitas emicuit, quanto minus à me vel verbis rogata, vel meritis prouocata est. Sponte mihi reseraſti fontem benignitatis tuæ, quem citra querelam clauſum retinere potuiſſes. Ego igitur quia natura, lege, & ratione perſpectum teneo, [d] *nil magis iuſtitiæ conuenire, quam ſuum cuiq; reddere, meritis laudem, beneficio gratiam:* [e] *quæ vna virtus non ſolum maxima, ſed etiam mater omnium virtutum reliquarum eſt:* equidem nihil eſt quod malim, quam huic munificentiæ tuæ paribus vel factorum vel verborum momentis reſpondere. At de factis quid? deſpondi animum. Ecquid enim eſt quod reponam? Aurum? Non habeo. Vniones cælataue aut picta opera? non poſſideo. Operas vtiles? Nõ valeo. Magnifica ſtudiorum emblemata? non audeo. Hæc enim incerta, illa viribus ſuperiora. At de verbis, id eſt, agendis habendiſue gratijs, nunquam committam, meum à te iure officium deſiderari poſſit. Hærebit fixa menti memoria, ebuccinabit laudem lingua, clamabit ad ſuperos oratio, quæq; me deſtituunt referendi vires, cæleſti munere decuplo ſarcientur. Vale. Mog. Calend. Nouemb. M.DCIV.

d Senec. Epiſt. 28. ad Lucil.

e Cic. pro Cn. Plane.

*LIBRI QVINTI EPISTOLARVM FINIS.*

# IVSTI BARONII VETERACASTRENSIS EPISTOLARVM SACRARVM LIBER VI.

## EPISTOLA I.

### ILLmo ET REVmo D. CÆSARI BARONIO Sorano S.R.E. Cardinali

*IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS S.P.D.*

EGo omni officio ac potius pietate erga te cæteris satisfacio omnibus, mihi ipsi nunquam satisfacio. Tanta enim magnitudo est tuorum erga me meritorum (pergo cum[a] *Cicerone* Vestrate te alloqui, CARDINALIS AMPLme) vt quoniam tu nisi perfecta re omni, id est omnibus pristini erroris mei lineamentis erasis, meq; ipso auspicacioris tibi cognominis fœdere associato, de me non conquiesti: ego quia non parem tibi gratiam referre possum, vitam mihi esse acerbam putem. Quamobrem

[a] *Famil. Epist. 1. ad P. Lentul.*

tem mihi sacer erit perpetuo Calendarum ille Septembrium dies, cum mane mecum & cum fratre in *Lateranum* profectus, Pontifice Maximo (quæ singularis eius erga nos humanitas fuit) è *Quirinali* eodem adnentante, primumq; solenniter sacris ad animi etiam nostri alimoniam operante, postea neglecta dudum hæreticis initiationibus *Sanctissimi* [c] *Chrismatis signacula* frontibus nostris imprimente, tu quæ Sacramenti istius solennitas est, mihi patrini loco adstare, mecumq; spiritualem illam cognationẽ inire, quæ verò tua longè maxima bonitas, hoc mystice cognationis Vinculũ, immortali cognominis tui arrha obsignare dignatus es. Quam ego tuam longè Illustrissimi Principis erga me imum terræ filium longè prolixissimam humanitatem, quibus verbis efferam, quibus laudibus prædicem, penes balbutiem meam non reperio. Equidem æmulatus videris patrem [d] Euangelicum, qui vt filium lacerum pannosumque ad se postliminio redeuntem, quam primum eiectis centonib⁹ *noua stola indui, & annulo nouo ornari, & calceamentis nouis muniri* iussit: ita tu pertæsus in me familiaque Sanctæ Ecclesiæ proselytis turpissimi *Caluiniani nominis* Exuuias, constitutis iam ex voto reliquis, non satis nos nouo ornari cognomine habuisti, sed quo in omnibus

*b Ann. M.DCII.*

*c S. Leo serm 4 de Natiuit. Dni. cap. 4.*

*d Luc. 15. 22.*

mensura amoris tui largiter redundaret, tuo etiam proprio ornasti, tuo proprio beasti, tuo proprio collocupletasti: infelice illo CALVINO longe [e] *vltra Sauromatas & glacialem Oceanum* relegato. Quam rem etsi molestè quidam, vt audio, quidam etiam inuidè & acerbè ferunt, mea tamē pluris ratio facti, quam hominum malignitas interesse debet.

Primum enim quis vel leuiter juris prudens istud non habet perspectissimum, [f] *nomina* ad recognoscendum singulos imposita, & [g] *mutabilia* esse, & liberrimæ inter homines liberos Electionis? Statuentibus sic duobus famosissimis Diocletiano & Maximiano Impp. *Sicut* [h] inquiunt, *initio nominis, cognominis, prænominis, recognoscendi singulos impositio libera est priuatis: Ita eorum mutatio innocentibus periculosa non est. Mutare itaq; nomen, vel prænomen, siue cognomen, sine aliqua fraude licuto Iure, si liber es, secundum ea quæ sæpe statuta sunt, minime prohiberis, nullo ex hoc præiudicio futuro.* SI LIBER ES, inquiunt. Nam Seruorum alia ratio, qui vt in [i] Iure pessimo loco sunt, ita nomen non in sua, sed in Dominorum potestate constitutum habent: cuius rei mox indicia aliquot apparebunt. Deinde FRAVDEM quoque abesse volunt. [k] Dolo enim malo seipsum adoptans, aut nouum sibi no-

[e] *Iuuenal. Satyr. 2.*

[f] *l. 1. C. de mutat. nominis & S. Si quis in nomine. Instit. de Legat.*

[g] *Vlp. l. 4. C. de Legat.*

[h] *l. 1. C. de mutat. nomin. Aade Boss. cap. 40. de mutat. nom. Pet. Gregor. lib. 36. synt. cap. 4.*

[i] *L. 107. & 146 & 209. & 211. ff. de Reg. Iur.*

[k] *l. falso nominis 13 ff. ad l. Cor-*

binomen imponens, pœnam *legis Corneliæ* incutrit quemadmodum [l] *Seruus ille quasi Fabiæ filius esset, ex Ceioni Commodi filia Palatina domo vindicata, iubente Pertinace flagellis cæsus, Domino redditus est*: Et [m] *Herophilus Equarius medicus C. Mariam septies consulem, auum sibi vindicans, decreto Cæsaris extra Italiam relegatus est*: deniq; [n] *alius quidam clarissimæ Octauiæ Augusti sororis vtero se genitum fingens, Imperio Augusti remo publicæ triremis affixus est.* At liberorum hominum bona fide vel sibi, vel seruis suis, aut libertis, aut filiis adoptiuis, aut hæredibus, aut ciuibus à se factis nomen immutantium, tam cõferta sunt Romanæ Historiæ exempla, vt quibus seligendis potissimum inhæream, ægrè mecum constituam. *Aulus* [o] *Vitellius* (prima siquidem recensio Imperatorum esto) Germanici cognomen sibi delatum, cupidè recepit. Augusti distulit, Cæsaris in perpetuum recusauit. *Seuerus Afer*, vt Populo Romano placeret, cognomen Pertinacis accepit. [p] *Iulianus* vt militib' voluptuosis satisfaceret, Commodi nomine vsus est. [q] Tandem & *Commodus* loco sui nominis, & pro Marci filio, Herculem Iouis filium se nominari voluit, depositoq; cultu Romanorum Principũ pellem Leonis substituit, ac clauam manu gestauit, demumq; se mille gladiatorum victorem appellari

*l vel Paul. lib. 5. sent. tit. 25. ad l. Corn. §. si quis sibi.*
*m Capitolin. in Val Max lib. 9. cap. 16.*
*n Val. Max. ibid.*
*o Sueton. in Vitell. cap. 9.*
*p Herodian. lib. 2.*
*q Herodian. lib. 1.*

pellari iussit. Quam rem quoque Ausonius in Tetrastichis tetigit.

COMMODVS *insequitur pugnis maculosu arenæ,*

*Threcidico Princeps bella movens gladio.*
*Elisó tandem persoluens gutture pœnas*
*Criminibus, fassus matris adulterium.*

De seruis seruitutem adhuc seruientibus[r] memoriæ proditum est, prænomen Domini gestare solitos; quod & *Lucipores, Marcipores, Publipores, Quinctipores*: id est, Lucii, Marci, Publii, & [s] Quincti pueri testatum faciunt. De Libertis appellationem Patroni imitãtibus, exemplo sunt [t] *M. Tullius Tiro*, & [u] *M. T. Laurea*, Ciceronis Liberti duo, nec nõ [x] *Liui*[o] *Andronicus* Poëta, quem à Marco Liuio Salinatore, cuius filios erudierat, libertate donatum Eusebius in Chronicis author est: denique vt multos præteream, *Eutychides* Attici seruus; de quo sic [y] Cicero: *De Eutychide gratum est, qui vetere prænomine, nouo nomine T. erit Cæcilius, vt est ex me & te iunctus Dionysius Marcus Pomponius.* Iã adoptiuos [z] Dion author est, Omnia illorum nomina ferre consueuisse, quorum in familiam transissent, gentilitio nomine suo retento quidem, sed aliqua tamen ex parte commutato, & plerunque in ANVS terminato: vt in exemplis *P. Cornelii Scipionis Æmiliani*, & L. *Manlii Acidini Fului-*

r Carol. Sigon. lib. de nomin. Rõ. Polit. in Mis. cap. 3.
s Quintil. lib. 1. cap. 7.
t Cic. 16. Fam. 24.
u Eusseb. in Chron. Olymp. 193.
x Plin. lib. 31. cap. 6. & 15.
y Gell. 17. cap. vlt.
z lib. 4. ad Attic. Epist. 14.
lib. 40. 46, & 55. Adde Manut. comm. in lib. 1. Epist. Cic. ad Marc. Brut. 2. Epist.

*Fuluiani*, & *P. Licinii Crassi*, & *Q Cæcilii Q. F. Pomponiani Attici*, & *M. Terentii M. F. Licuniani Varronis Luculli*, aliorumq; plurium manifestum est. De Ciuitate donatis eundē morem prodit antiquitas. Sic enim [a] Cicero: *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo ciuitatem à Cæsare impetrauit, qua in re ego interfui. Itaq; nunc P. Cornelius vocatur.* Item [b] Cæsar. *Commodissimum visum est, M. Valerium Procillum C. Valerii Caburi filium, cuius pater à C. Valerio Flaceo ciuitate donatus erat, mittere.* Proinde & hæredibus testamento sæpe noua nomina imposita [c] leges multę docent, multaq; exempla. Liuia enim cum Dolabellam ex parte hæredem instituisset, nomen mutare iussit. Qua de re sic [d] Cicero ad suum Atticum. *Dolabellam video Liuiæ Testamento cum duobus cohæredibus esse in triente, sed iuberi mutare nomen. Est πολιτικὸν σκέμμα, rectum ne sit nobili adolescenti mutare nomen mulieris testamento: sed id φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν cum scimus, quantum quasi sit in trientis triente.* Sic [e] Basilius quoq; *M. Satrium* sororis filium cum fecisset hæredem, nomen suum ferre voluit: nec non Octauius *Tiberium* ex parte dimidia & sextante, & *Liuiam* ex parte tertia

a & cōm in lib. 2. Cic. ad Q. Fratr. Epist 1. & lib. 3 fam. Epist. 36.

b Lib. 1. de bello Gallic.

c l sed etsi & l facta § si sub nomine ff. ad Trebel. d lib 7 ad Attic. Epist. 8.

e Cic. 3. off. sic.

tertia hæredes instituens, eandem illis ferendi nominis sui conditionem imposuit. Quod [f] Ouidius fata Augusti canens hisce versibus prædicat.

*f Lib 15. Metam. adde Brisson lib. 7. de Formul.*

*——— Ingq; futuri*
*Temporis æterni venturorumq; nepotum*
*Prospiciens, prolem sancta de coniuge natam,*
*Ferre simul nomenq; suum curasq; iubebit.*

Atque hæc ex vsu priscæ illius laudatissimæque Romanorum Reipub. instituto nostro sufficere poterant. Sed & ipsa historia sacra, receptusque Christianorum mos, maiora nobis aptioraque exemplorum præsidia subministrant. Ipso enim sacrorum Codicum in limine quid? Nonne [g] *Abram* [h] fidelium pater [i] abiecto idolorum cultu, susceptaque Veri Dei religione [k] Abraham vocatus est? Et [l] *Sarai* vxor eius [m] Sara? Et [n] *Ioseph*, Sapnathopaneas? & [o] *Daniel*, Balthasar? & *Ananias*, Sidrach? & *Misael*, Misach? & *Azarias*, Abdenego? Et [p] *Simon* Apostolorum Princeps, Petrus? & [q] *Iohannes Iacobusq;* fratres, Boanerges? & [r] *Saulus*, Paulus? & fideles denique omnes [s] *discipulorum* nomen Antiochiæ, nonne cum voce Christianorum permutarunt? Quam rem sic pulchrè suis rationibus illustratam exposuit [t] S. Athanasius *Omnes* inquit *qui credebant in Domino nostro Iesu Christo, non Christiani, sed discipuli*

*g Gen. 11. & 26. 27. 29. Gen. 12 & 13. 4. 6 7. h Rom. 4. & 11 12 16. 17. Gen. 17 5. Luc. 19. & 9. i Gen. 11. 31. & 12. 7. & 13. 18. Ios. 24. 2. k Gen. 17 5. l Gen. 11. & 29 30. 31. m Gen. 17. 15. n Gen. 41. & 45. o Daniel 1. 17.*

tan-

*tantum modo vocabantur. Et quia multi nouorum dogmatum auctores extiterunt, doctrinæ obuiantes Apostolicæ, omnes sectatores suos, discipulos nominabant, nec vlla erat nominis discretio inter veros falsosq; discipulos siue Christi, siue Dosithei, siue Iudæ cuiusdam, siue Iohannis sectatores, qui se quasi Ecclesiæ fatebantur. quin potius vno discipulorum nomine ferebantur. Tunc Apostoli conuenientes Antiochiæ, sicut horum (Lucano narrante) Acta testantur, omnes discipulos vno nomine, id est* Christianos *appellant, discernentes à communi* discipulorum *vocabulo, & vt diuini per Isaiam Oraculi sermo compleretur, quo ait:* seruientibus mihi vocabitur nomen nouũ. *Hanc ergo ab Apostolis traditam de nouis vtendis nominibus formam Ecclesia tenens contra diuersos hæreticos (vt sanæ fidei ratio postulat) diuersas edidit nominum nouitates.* Quæ postrema S. Athanasij verba, quasi publicam & receptam hanc mutandorum in Ecclesia nominum consuetudinem fuisse docent: quod & [x] Eusebius testatur, cum scribit. *Christianos olim pro nominibus Idolorum, quæ ipsis fuerant à parentibus imposita, noua sibi nomina alicuius prophetæ, Eliæ, Ieremiæ, Isaiæ, Samuelis, Danielis, &c. adsciuisse.* Idque plerunque Sacramentis (vti verisimile est) interuenientibus Sic enim in baptismo [y] *Adrias & Paulina* à B. Stephano Epi-

*p Matth. 10. 2. & 16. 8.*
*q Marc 3. 17.*
*r Act. 13 v. 9. 13 16. Origen. præf. Com. in. Epist. Rom.*
*s Act. 11 26. & 26 28.*
*t Athanas. in disput. cont. Ariũ u Act. 11. 26. & 26. 28.*
*x Euseb. lib. 8. cap. 20. 21.*
*y Baron. Tom. 2. Annal. 258. §. 11.*

Episcopo noua nomina Neonis & Mariæ acceperunt. Sic in Chrismatis Sacramento (ne ego primus id tentasse videar)[z] *Hermenigildus*, Hermenigildi Regis filius, ex hæretico Catholicus factus, Iohannes vocatus est. Et[a] *Voicechus*, vel vt alij legunt, *Wentius* in Baptismo dictus, Pragensis Episcopus à S. Adelberto primo Archiepiscopo Magdeburgensi, sacro Chrismate inunct⁹, Adelberti nomen traxit. Denique *Carolus IV. Imp.* primum Wenceslaus dictus, idem Imperatorium nomen Parisijs cum Sacro Balsamo recepit. Quæ tanta tantorũ Principum exempla (Pontificum enim Romanorum, multorumque religiosorum receptissimum in hoc genere zelum in præsens omitto) hoc vno à me distant, quod illi propria etiam nomina, firmius scilicet impacta, ego solum cognomentum, idque odiosissimum ac turpissimi hæresiarchæ sono maculosissimum refigendum atque abolendum putaui. Quod potissimum defensionis meæ caput nunc sequitur, vt paucis etiam pro instituti breuitate perstringam.

Scribunt[b] probati authores, tanta cura veteres nominum δυσφημίαν vitasse, vt ne *Epidamni* quidem aut *Maleuenti* nomina ferrent, quin ea tandem in Dirrachij & Beneuenti appellationes commutarent: ominis scilicet causa, vt à[c] veteribus traditum

z. Greg. Turon. lib. 5. cap. 8. 3. a Baron. Tom. 10. Ann. An. 980. § 1. Adde notas ad SS. Martyr. Abundii, Abundantii &c. Passiones Romæ excus. An. 84. f. 133.

b Suet. in Augusto cap 92. Adde Brisson. lib. 1. de formul.

c Plin. lib. 3.

tum est, ne eo locorum profecturis ipso nomine triste quid portendi videretur. Scribit etiam [d] Plinius, Publicis lustris *nomina* victimas ducentium *prospera* electa fuisse. Et in publicorum vectigalium locatione *Lacum Lucrinum* propter Lucri sonum nomini inhærentem primum locatum fuisse, Festus tradit his verbis: *Lacus Lucrinus in Vectigalibus publicis primus locatur fruendus, Omnis boni gratia, vt in delectu Censuue primi nominantur Valerius, Saluius Statorius.* Qualibus nominib⁹ dubio ꝓcul fuerunt milites, quos [e] Tacitus in Capitolij dedicatione adhibitos fuisse scribit. *Ingressi* inquit, *milites, quibus fausta nomina, felicibus ramis.* Sed maiori adhuc cura hæreticorum nominum δυσφημίαν Christianos in Ecclesia euitare consueuisse, argumento est, quod ea ex *Diptychis* etiam delerent, nec memoria quidem viuere paterentur, qui vnanimes in Ecclesia Dei viuere noluissent. Qua de re [f] *Anastasium Papam* audiamus, de nomine Acacij abolendo ad Anastasium Orientis Imp. sic scribentem. *Legatione fungimur pro Christo: ne eos propter offensionem vel scandalum patiamini publicè nominari, quorum merita vel actus illum Iudicem latere non possunt, in cuius iam sunt iudicio constituti.* Et infra. *Precamur Clementiam vestram, vt specialiter no-*

cap. 11 & 23. Pop. Mela. lib. 11. cap. 1. Plaut. Menach. Act. 1. scen. 1. Dion. lib. 41. a Plin. lib. 28. cap. 2.

e Tacit. lib. 20.

f Epist. de nomine Acac. abolend.

*men taceatur* Acacij, *& quod multis ex causis scandalum vel offendiculum Ecclesiæ concitauit, speciali appellatione taceatur, cum sicut diximus, in generalitate sacerdotum vniuscuiusque meritum illum iudicem latere non possit, qui nouit quid cuique tribuendum sit pro æstimata dispensatione meritorum, cui soli cogitationes quoque manifestæ sunt.* Digna Summo Pontifice vox, & planè ad amussim illam Apostoli: [g] *Ab omni specie mala abstinete vos:* & iterum [h] *Fornicatio & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* O quanta mali species, Hæresiarcharum laruas in fidelium cœtu circumferre! quanta [i] fornicatio, religiosæ mentis nisum ab vnica CHRISTI sponsa Ecclesia ad fœdissima allophylorum prostibula conuertere! Quorum mentionem vt in [k] *Acacij*, [l] *Macedonij*, [m] *Euphemij*, [n] *Flauitæ*, *Anastasij Imperatoris*, [o] *Zenonis*, [p] aliorumque cœlestis pudicitiæ contemeratorum nominibus damnatis abolere antiquitas voluit: Ita quis neget hodie pari Iure impurissimorum fornicatorum, *Lutheri*, *Caluini*, *Zuinglij*, *Bezæ*, *Serueti*, *Gentilis*, *Melanchthonis*, &c. Cognomenta tanquam putrida sterquilinia, non è sacris tantum tabulis, ab vsu & foribus Ecclesiæ, sed è labijs etiam ac sermone hominum eliminanda? Quis enim

ex o-

g 1. Thes. 5. 22.
h Ephes. 5. 3.
i Deut. 31. 16 Esaiæ 1. 21. Ierem. 3. 9. 1. 23. Hieron. Epist. ad Ruf.
k Baron. To. 6. Ann. an. 497. §. 3.
l Ibid. An. 515. §. 50.
m Ibid.
n Ibid. An. 489. §. 3.
o Ibid. An. 518. §. 25.
p Ibid.

ex omni antiquitate hæreticus scéleratiora hisce beluis aut fecit, aut facere potuit? *Insurrexerunt* [q] *aduersus testamenta Dei*: tabulas fœderis conscíderunt: fidei puritatem coinquinarunt, vnitatis vestem diruperunt, religionis medullam in pulueres accineres conuerterunt: *Caluinus* inprimis, qui tanquam Colophon impietatis, horrendo Prædestinationis commento [r] omnibus diuinæ bonitatis, veritatis, misericordiæ, iustitiæ insignibus erasis, Busiridem quendam aut Phalaridem, aut his etiam crudeliorem Satanam pro Deo nobis substituit. Et tu tamen postulare audes hæretice, huius ego sacrum vt nomen in Ecclesia pro monili geram, cuiusque omnem memoriam sempiterna obliuione damnaui, illi sempiternum memoriæ asylum in capite meo constitutam? Longè aliter [s] Psaltes. *Deleantur* inquit, *de libro viuentium, & cum* IVSTIS *non scribantur*. Aliter pia olim Ecclesia, impio Anastasio in loco sancto sepulto: [t] *Tollantur* inquit, *ossa Manichæorum*. Aliter denique omnes hodie Christiani Catholici, qui ad *Caluini* nomen non secus ac tristissimi cacodæmonis, aut perfidissimi Ischariotis mentionem nauseant, expuunt & efferuescunt. Horum ne igitur ego stomachum perpetuo fomento alerem? hunc tam capitalem

[q] *Psal. 54. 22. & ibid. August.*

[r] *Calu. li 3. Instit. cap. 21. & 22.*

[s] *Psal. 68. 29.*

[t] *Baron. To. 6. Ann. an. 518 §. 25.*

Dei bonorumque omniumque hostem quotidiana nominis repetitione venerarer? Absit: nihil irreligiosius. Quin quemadmodum [v] *Agnus* ille *in monte Zion, filius hominis, amictus podere, & procinctus ad mamillas Zona aurea*, vincentibus promittit *manna absconditum & calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit*, vt scilicet *qui status conuersionem consecuti sunt, cognomine quoque mutato fulgeant*, vt verbis [x] Imperatoris nostri vtar: Ita ego Catholicæ matri reconciliatus, atque omni hæretica lue expurgatus, quo ne minima quidem pristini erroris vestigia supereſſent, grato libentique animo nouo me cognomine imbui passus sum: sine vlla vel Dei vel parentum meorum ignominia: quos vt etiamnum transplantatus libenter agnosco, omnique diuini & humani Iuris veneratione totus prosequor: ita errorem eorum constanter damno, mentemque illis à Deo saniorem omnibus animi votis precor & opto.

v *Apoc. 1. 13 & 2 17.*

x *In ff. de rat. & method. Iuris Docend. ad Anteceſſ.*

Habes *Cardinalis Illustrissime*, quæ mihi hoc tempore de nominis à te mihi facta consonantia (sic Anastasius Papa ad Anastasium Orientis Imper. indigitat) scribere libuit & licuit. Vnum forte id restat, vt quia te ipso [y] authore, Antiochia [z] teste, quæ

y *Baron. To. 7 Ann. an. 528. §. 27.*

z *Euagr. lib. 4. ca. 6.*

quæ nouo nomine *Theopolis* dicta, Neſtorianis blaſphemijs inquinata, Coſrois Perſæ præda effecta eſt, parum intereſt, nouum nomen ſine nouis moribus induere: Tibi tanti mihi beneficij authori, non ſolum omnes debitiſſimas grates, verum etiam (quod facio) omnia illa iura Iurem, quibus me tanto ὁμωνυμίας vinculo tibi reddidiſti obſtrictum. Inter quæ illud facilè princeps & palmarium, vt auſpicatiſſimum BARONIANVM cognomen, virtutibus dignitatibuſque tuis tantoperè nobilitatum, omni fide, pietate, conſtantia, doctrina, induſtria, aliorumque Catholicorum ornamentorum decore, quantum poſſum, excolam & quod vnicè cupio, viuus mortuuſq; cohoneſtem. Vale, *Mœcenas Ampliſſ.* meque ſemel in clientum, atque adeò etiam familiæ tuæ numerum cooptatum, quæſo nunquam iſto albo excidi patere: quin indies firmius inſculpe, fortius tuere, atque acrius hortare, quo maiores luculentioreſque honori tuo ſemper è ſtudijs meis fructus enaſcantur. Moguntiæ. Idibus Februar.

M.DCV.

## EPISTOLA II.

BEATISSº SANCTISSºqꝫ IN Christo Patri & Dñº, CLEMENTI VIII. Pontif. Max.

*IVSTVS BARONIVS VETERacaſtrenſis.*

AVsvs ſum aliqd, *Beatiſs*me PATER, bona certè voluntate, neſcio vtrum pari Sis Tæ approbatione. Sed auſus ſum, audereque me iuſſit admirabilis illa tua tot tantiſque experimentis mihi cognita humanitas: quam ſi præſenti quoque cauſæ accommodaueris, nihil verebor, ne non conſilium meum firmum ratumque habiturus ſis. Natus eſt mihi anno abhinc plus minus altero ex vrbe reduci, ſubitò, quod aiunt, ſub manu libellus, *Pſeudo Iubilæo* Lutheranorum in *Saxonia* oppoſitus, quem quia nunc typis ſuis reuocare, meoque ſub genuino nomine edere ſtatuebat typographus, ego quoque mihi, quod prius neglexeram, de Patroni clypeo cogitandum eſſe ducebam: idque tanto magis, quanto plura & venenatiora mihi nunc è tenebris euoluto hoſtium ſpicula viderentur pertimeſcenda. Cum verò huiuſmodi *apophoreta* (muneris enim neſcio quid & honoris

ris etiam habere creduntur) Mœcenatibus potissimum, id est præclarè meritis studiorum nutritijs consecrari viderem: quos inter S^as. T^a ita mihi multis ab annis tam principe loco est, quàm est omnium mortalium loco summo constituta, subitò apud animum meum decreui, non esse huic lucubrationi alium à te quærendum patronum. Causas exponet libellus ipse sat multas: exponam & ego plures, si quis confertiorem ætiologiam desideret. Sed non necesse est vlteriorem huic rei operam impendere. Vides ipse, hoc argumentum totum tuæ fuisse & esse personæ, cuius in Sede vt oppugnanda omnes vires hæreticus, ita ego in eadem defendenda omnes ingenij doctrinæque neruos consumo. Ille te *Antichristum* vult, ego Christi Vicarium; ille Pseudopropheram, ego Apostolum: ille tyrannum, ego patrem. Cui pugnæ vt plures etiam spectatores colligerem, hac ipsa nominis tui illecebra efficere volui. Neminem enim tam depressæ mentis futurum puto, quem non hæc tam excelsi *Agonotheræ* mentio ad aliquam saltem alacritatem excitatura, & si quidem desperatus, ad maiorem insaniam redactura, sin verò sanabilis, gratia & voluptate maiori perfusura sit. Taceo quod omnis nostra opera, Ecclesiæ restaurandæ locata, opera

tua est, qui sub signis tuis militamus, [a] *ad iussum tuum retia eycimus*, nutu tuo [b] *falces aptamus*, nec tuo tamen sed Christi nutu, cuius in te & pastoratum colimus, & veneramur potestatem. Tibi enim hic vices suas resignauit, vt quia [c] ipse maioribus bonis cumulandis abiturus erat, te vicarium haberemus sacerdotem, [d] *cuius ex ore legẽ requireremus*, [e] cuius iudicio lites dirimeremus, cuius ductu ab omni fidei naufragio tuti immunesque persisteremus. Tuis igitur vt dixi legibus paremus, tua signa sequimur, tuoque auspicatissimo nomini omnem nostram operam, quocunque in genere nauatam rectissimè consecramus. Vt si vel priuata illa tua in me merita negligerem, causæ tamen affatim suppeteret, quamobrem hanc dedicandi rationem sequi debuerim. Sed absit vt negligam. Tu mihi [f] *Ambrosius*, qui tanto sumptu chartas, pecunias, Notarios [g] polygrapho illi *Origeni* suppeditasse scribitur: tu *Augustus* meus, quem sempiterno cum Poëta carmine canam.

[h] *O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit!*
*Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram,*
*Sæpè tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.* Ille

a Luc. 5. 5. Iohan. 21. 6.
b Apoc. 14. 6. 15. 16. 17. 18. 19.
c Iohan. 16. 7. Eph. 4. 8. Psal. 67. 19.
d Malach. 2. 7.
e Deut. 17. 8. 9. Matth. 18. 17.
f Hieron. Epist. 18 ad Marcell.
g Vincent. Lirinens. in common. cap. 23.
h Virgil. Ecl. 1.

*Ille meas errare boues, vt cernis, & ipſum*
*Ludere, quæ vellem, calamo permiſit agreſti.*

Accipe igitur per Deum *Sanctiſſime Pontifex* hoc qualecunque grati animi pignus: atque ita quæſo accipe, vt te ſementis tuæ manipulum ferre putes. Si vberiora deſideras, ſanè debere me fateor, at poſſe nego. vbi potero, metes & tu, [1] *Diſque interea non ſolum thure, ſed & mola ſalſa litari cogitabis.* Vale. Mogunt. Nonis Februarij. M.DCV.

[1] *Il. n. p. af. Natu. hiſt.*

---

## EPISTOLA III.

### ILLmo ET REVmo D. BERNHARDINO Paulino SI DI NI CLEMENTIS VIII. Pontif. Max. Datario

### *IVSTVS BARONIVS VETERACaſtrenſis S.*

EN tibi tandem, *Illme & Reume Dne*, pro tua illa inſigni in me beneficentia & comitate dudum debitum deſtinatumque ἀντίδωρον. Quale inquis? Litterarium tenue, rude ac minus perpolitum, quam

vel voluntas mea, vel dignitas tua longè maxima postulabat. Sed quia non eorum te numero accenseo, qui ponderibus rerum, non voluntate donantium munera metiuntur, contra omnem [a] diuinæ & [b] humanæ Philosophiæ rationem: acquiescespero τοῖσ παροῦσιν, excusabisque ipse tempus, occasionem, locum, quæ singula vides vel nolentem me in hasce angustias coëgisse. De argumento libelli noli laborare. Appendicula est *Præscriptionum* mearum dudum editarum: quas quia admordere conatus erat homo *Anglicanus*, iure hanc à me defensiunculam extorsit. De loco purgabit me tibi [c] *Agesilaus*, purgabit [d] *Aristippus*, purgabit denique [e] *Damonidas*, qui omnes vltimo quondam loco constituti, susq; deq; id habuerunt, animosque *non locum viris, sed viros loco cõciliare dignitatem* responderunt. Quod si tu quoque existimabis, *Ill^me & Reu^me D^ne* nil spero supererit, quamobrem meum tibi munusculum sordere debeat. Vale, & si fas precari, hanc vnam mihi gratiam habe, vt gratũ habeas, quod gratissimo tibi animo dicatum iui. Vale iterum. Mogunt. 4. Non. Martij. M. DCV.

a Luc. 21.3
b Arist. lib. 4. Ethic. ca. 3.
c Plutarch. in Lacon.
d Laert. lib. 2. cap. 8.
e Plutarch. e Lacon.

*LIBRI SEXTI EPISTOLARVM*
*FINIS*

BE-

## BENEVOLO LECTORI.

SI breuitatem huius libri VI. miraris Lector, cogita cum anno numerum mihi Epistolarum crescere solere. Quoniam igitur in primis adhuc huius anni mensib⁹ consistimus, plures nec scribere Epistolas, nec edere licuit. Tu igitur vale, & sequẽtes suo tempore, si consultum uidebitur, à me expecta.

ERRA-

# ERRATA TYPOGRAPHICA.

*Pa.3.in marg.post Heb.11 adde1 p.4.l. 6 lege illa. p.32. l. quarta a fine, laudatam. p. 40 l,18. tædet p.59.l.16. Oecumenicis.p 62.l. 2.petra.l. 5.conuincit p.33.l.9. robustiores p.89 l.penult. opportunitates.p.109.in marg.l.1.post Epist adde 54 p.142.l.23. catechetæ.p.173.l.17.positum. p.175 l.3. nætheticam. l.10. querelam.p.187.in marg. l.3. elegia.p.203. l. vlt. insta.p.206.in marg. l.2. per sequentes litteras, intelligeillas, quæ infra demum loco 19. eiusdem lib. sequuntur.p.208.l.penult.sidere p.224.l.9.quanto.l.n. antepenult.promerebere. p.230.l.24.proficiendi.p. 274.l 2.Troade p. 290. l.6. Burgundionumque.p.299.l.12.pro eum l. cum p. 305.in marg.post. Epist.adde 1 p.326.l.2.colere.p 333. in marg.lin. vlt. lege, præfixa. Cætera quæ vel in Epistolis, vel in* VINDICIIS *etiam Anti Raynoldinis (quas fateor festinatione mihi relegere nõ licuisse) vspiam σφάλματα occurrent, prudens æquusq; Lector per se ipse facilè corriget, ac longum valebit.*

LAVS DEO OPTIMO MAXIMO,
Virginiq; Matri Mariæ.


*FINIS.*

MOGVNTIÆ.

*Ex officina Typographica Ioannis Albini omnium Antiquissima, atq; artis huius prima.*



Anno M.DCV.


Th
6054